447

PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ

PARS ALTERA,

complectens

OECONOMICAM, LIBRIS II.
pertractatam,

Auctore

CLEMENTE TIMPLERO STOLPENSI
Miſnico, in illuſtri Schola Steinfurtenſi
Philoſophiæ Profeſſore.



HANOVIÆ,
Typis PETRI ANTONII.
M. DC. XVII.
Cum gratia & priuilegio S. Cæſ. Maieſt.

Digitized by Google

NOBILISSIMO, STRENVO, AMPLISSIMO ET PRVdentiſſimo viro,

Domino GISBERTO de Bodelſchwing/ Domino in Bodelſchwing / Mengede / & Herrn / etc.

Nec non Filiis eiusdem virtutum ornamentis conſpicuis,

Dn. WENNEMARO,
Dn. WESSELO,

Fratribus germanis,
DOMINIS ET MÆCENATIBVS
ſuis plurimum honorandis,
S. D.

INTER *diſciplinas practicas quæ vitam moresq; hominum informant, eumq; ad honeſta & laude digna virtutum officia dirigunt, haud poſtremū videtur tenere locū* Oeconomica. *Hæc enim modo benè conſtituendi & adminiſtrandi domum, tanquam ſubiectum proprium & adæquatum ſibi conſiderandū*

vendicat, in eoq; perſpicue & ſolide explicando omnem ſuã operam ponit. Et cum domus partes duæ ſint, familia, & res familiaris: non tantum hæc docet, quo pacto familia rectè ſit contrahenda, conſeruanda, amplificanda, & gubernanda; ſed etiam quibus medijs res familiaris honeſtè & iuſtè ſit acquirenda, cuſtodienda, augenda, & ad vſum conuenientem transferẽda ediſſerit. Itaq; ſicut domus fundamentum eſt Reipublicæ, *eamq; ordine naturæ generantis antecedit: Ita Oeconomica non immerito* fundamentum Politicæ *nuncupatur doctrinæq; ordine priores partes ſibi arrogat. Quo magis mirãdum, dolendum & deplorandum eſt, hanc præclaram & vtiliſſimam artẽ hactenus in ſcholis à plerisq; neglectã, à paucis excultam fuiſſe. Cum enim omnes fere aliæ diſciplinæ tum theoreticæ tum practicæ in magno precio & honore ſemper ſint habitæ; ſola tamẽ* Oeconomica *neſcio, quo fato,*

ſato, hoc infortunium experta eſt vt pauci eius ſundum cultura vacuum, rarisq; hominũ veſtigiis calcandum, ea qua par eſt, fide ac diligentia renouare & excolere aggreſſi ſuerint. Quanta autem malorum ſeges ex neglectu illo pullulauerit, qui non videt, is in luce meridiana cæcutire nõ iniuriâ exiſtimatur. Hinc enim ſiniſtra & peruerſa domus tum conſtitutio, tum adminiſtratio oritur; Hinc infauſta cõiugia, liberorum praua procreatio & educatio, ſeruorum & ancillarum infidelitas & improbitas: Hinc turpis & iniuſta bonorum domeſticorum partim acquiſitio & amplificatio, partim profuſio & diſſipatio: Hinc deniq; omnis calamitas & infelicitas Oeconomica totiusq; domus ruina ac interitus miſerabilis exiſtit. Ac cum domus ſit fundamentum Reipublicæ, quis nõ videt, quanta malorũ Ilias ex prauâ illius tum conſtitutione tum adminiſtratione in Rẽpublicam ipſam redundet. Fieri enim non

poteſt, quin fundamento male iacto ædificium, quod ſuperſtruitur, ſit infirmum & ruinoſum. Itaq; ſi Reſpublica bene fundari debet, ciuiliſq; felicitatis, ad quam tanquã ſcopũ collineat, particeps fieri; neceſſe eſt vt de domo rectè conſtituẽda & adminiſtranda prima ac ſeria cura ſuſcipiatur. Id autem fieri nequit, niſi Oeconomica *ex puluere, ſitu & ſqualore, in quo hactenus iacuit, in lucem protrahatur, ſuæque natiuæ & genuinæ formæ reſtituatur. publiceque in Scholis & Academiis omnibus ſtudioſæ iuuentuti proponatur, commendetur ac inculcetur: vt ita à teneris annis illius præcepta rectè & cupide animo imbibat, vitamq; & mores ſuos ſecundum eorum normam componere diſcat. Et hæc etiam eſt cauſa, quæ me inprimis ad methodum* Oeconomicæ *ſyſtema concinnandum & adornandum impulerit & excitauerit. Cum enim homo non ſibi ſolum natus ſit: ſed*

vel

Digitized by Google

velinprimis Deo & Reipublicæ, vt nimirum omnes ingenii ſui vires, omniaque ſtudia ad illuſtrandam nominis diuini gloriam, communemque Reipublicæ vtilitatem promouendam conferat: mei quoque officii eſſe duxi, boni publici gratia, ſicut in aliis hactenus artibus philoſophicis à me factitatum eſt; ita etiã Oeconomicæ *methodicè conſcribendæ operam meam impendere. Quod ſi laborem hunc meum fructuoſum ipſe ſenſero & à viris doctis approbari, eſt cur mihi gratuler, & Deo tanquam primo omnis boni auctori gratias agam. Sin res aliter, præter opinionem & expectationem ceciderit; confido tamen neminem tam iniquum inſtituti mei cenſorem eſſe, qui non animum ſaltem meum & promptam in iuuando bono publico voluntatem approbatione & commendatione dignam ſit iudicaturus. Tuas autem im-*

bilißime, ſtrenue & ampliſſime vir, Mæcenas apprime honorande, filiisq; tuis paternarum virtutum hæredibus hunc ingenii mei partum ſtrenæ loco officioſè dedico & offero. Noui enim, & reipſa expertus ſum ſæpe, quãto fauore & amore literas earumq; cultores ipſe literatus cõplecti & proſequi ſoleas. Nec inſcius ſũ quãtopere in praxi Oeconomica, ad quam informandam & dirigendã omnia ſua præcepta ars Oeconomica refert, excelleas. Cuius rei argumentũ euidentiſſimũ eſt, quod inter occupationes politicas, quas varias & arduas ad promouendam ſalutẽ Patriæ prompto animo ſuſtines, non tãtum generalem ſemper domus tuæ bene conſtituẽdæ & adminiſtrandæ curam habueris: verũ etiam, vt probum parentẽ decet, inprimis de recta liberorum tuorum educatione & inſtitutione, quæ ſecundũ Plutar. eſt πηγὴ ϗ ῥίζα καλοκἀγαθίας, ſolicitus fueris, in eaq; procuranda nullis ſumptib. peperceris. Vt

igitur

igitur publicum aliquod harum laudum tuarum præconium à me profectum extaret; ſimulq; filii tui hac ratione ad ſtudia literarum & virtutum, in quibus à me priuatim Steinfurti aliquandiu inſtituti fuerunt, magis magisque excolendum, & laudatiſsimis Parentis veſtigiis inſiſtendum inflammarentur; non potui intermittere, quin nobiliſsimo tuo illorumque nomini hoc qualecunque opuſculum inſcriberem & nuncuparem. Proinde amanter etiam atque etiam peto, vt hanc dedicationem ab optimo animo profectam, in optimam partem accipere, & deinceps etiam me meaque ſtudia beneuolentiæ veſtræ aura proſequi non dedignemini.

Quod ſupereſt oro Deum opt. max. qui fons & ſcaturigo eſt omnium bonorum verorum, vt te cum nobiliſsima & lectiſſima coniuge, totaque familia benè valentem & florentem quam diutiſſime

conſeruet, tibiq; in omnibus conſiliis & actionibus proſperitatem, nec non filiis tuis conſtantem in decurrẽdo doctrinæ & virtutis ſtadio alacritatem concedere clemẽter velit. Steinſurti ex Muſeo meo, Calendis Ianuarii, anno à nato Christo Ieſu mundi ſeruatore, CIↃ IↃCX.

M. CLEMENS TIMPLERVS.

INDEX LIBRORVM ET QVÆSTIONVM

OECONOMICÆ LIBER I.

In quo de conſtitutione domus agitur.

CAP. I.

De definitione & partitione cum Ethicæ ſpecialis, tum Oeconomicæ.

QVÆSTIONES.

CAP.		PAG.
1	An in Ethica ſpeciali de qualibet ſocietate humana agatur?	Pag. 1
2	An Ethica ſpecialis rectè diuidatur in Oeconomicam & Politicam?	2
3	An Oeconomica ante Politicam ſit tradenda?	5
4	Quid ſit ſubiectum & quis finis Oeconomicæ?	7
5	Quid ſit Oeconomica, & quomodo diſtribuenda?	8

De Natura domus & familiæ. CAP. II.

1	Quid ſit domus & familia: & quomodo inter ſe differant?	10

2 An

2 An ſocietas domeſtica ordine naturæ & temporis prior ſit ciuili 12
3 An de familia rectè conſtituenda magis homo ſolicitus eſſe debeat, quam de re familiari? ibid.

De cauſis externis familiæ. CAP. III.

1 An Natura rectè ſtatuatur cauſa efficiens familiæ? 14
2 An familia rectè dicatur principium & ſeminarium Reipublicæ? 16

De cauſis internis familiæ. CAP. IV.

1 An Paterfamilias ſit pars familiæ? 21
2 Quot perſonæ requirãtur ad conſtituendã familiã? 22
3 An neceſſe ſit perſonas illas, quæ familiam conſtituunt habitare ſemper in vna & eadem domo? 24
4 An ſocietas coniugalis ſit bona & expetenda? 25
5 An Patrifamilias prima & præcipua cura ſit ſuſcipienda de ſocietate coniugali? 30
6 An coniugia ſint fatalia? 32
7 An vni viro liceat multas ſimul vxores ducere, & vni fœminæ multos ſimul maritos habere? 33
8 An matrimonium ſine parentum conſenſu ſit cõtrahendum? 36
9 An matrimonium cum quauis perſona licitum ſit cõtrahere? 38
10 An quouis ætatis tempore ſit contrahendum matrimonium? 39
11 An matrimonium ſit contrahendum iis, qui ætate planè ſunt impares? 42
12 An virgo potius ſit ducenda, quam vidua? 44
13 An in matrimonio contrahendo religionis & morum ſimilitudo ſit ſpectanda? 45
14 An in matrimonio contrahendo generis & familiæ ſit habenda ratio? 48
15 An in vxore eligenda formæ venuſtas, & dotis magnitudo ſit ſpectanda? ibidem
16 An bonum ſit procreare & habere liberos? 50
17 An liberi maſculi ſint pręferendi fœmineis, & legitimi ſpuriis? 53
18 An liberi ſemper ſimiles parentibus naſcantur? ibid.
19 An ſocietas herilis Naturæ ſit conſentanea? 56
20 An omnes ſerui ſint eiuſdem generis? 58

21 An quidã homines ſint Natura domini quidã ſerui 60
22 An delectus ſeruorum ſit habendus, & qualis? 62
23 An ſocietas propinquorum pertineat ad conſtituendam vnam numero familiam? 64
24 An omnis familia conſtet ex triplici ſocietate domeſtica, nempe coniugali, paterna & herili? Ibid.

De re familiaris natura. CAP. V.

1 Qui ſit res familiaris, & num illius cura ſit ſuſcipienda Patrifamilias? 69
2 An bona externa in cenſu verorum bonorum ſint habenda? 70
3 Quomodo res familiaris ſit diſtribuenda? 73
4 An pecunia propriè inter veras diuitias numerari poſſit? 74
5 An diuitiarum natura magis conſiſtat in vſu, quam in poſſeſſione? 77

De mediis acquirendi rem familiarem? CAP. VI.

1 An acquiſitio rei familiaris patrifamilias ſit neceſſaria, & num eius doctrina ad Oeconomiam pertineat? 93
2 Quæ requirantur in Patrefamilias, qui rem familiarem feliciter vult acquirere? 84
3 Quomodo Ariſtoteles media acquirendi rem familiarem diſtribuat, & quid de illa diſtributione ſit ſentiendum? 85
4 Quomodo naturalis ratio acquirendi rem familiarē differat ab artificiali? 88
5 Quæ Patrifamilias in agricultura exercenda ſint obſeruanda in genere? 89
6 An agricultura ſit bona, & inter omnia media acquirendi rem familiarem maximè naturalis & neceſſaria? 92
7 An ars prædatoria ſit medium licitum acquirendi rē familiarem? 93
8 An vita paſtoritia ſit medium legitimum acquirendi rem familiarem? ibidem
9 An permutatio ſit medium artificiale acquirendi rem familiarem? 95
10 An mercatura ſit medium licitum acquirēdi rem familiarem? 96

11 Vtrum liceat rem pluris vendere, aut minoris emere, quam in ſe valeat? 97
12 An pecunia neceſſarium medium ſit mercaturæ? 99
13 An quælibet mercaturæ ſpecies ſit eiuſdem dignitatis cum alia? 100
14 An vlla vſura ſit licita & conceſſa? 101
15 An cābiū ſit legitim⁹ mod⁹ acquirēdi rē familiarē? 106
16 An Patrifamilias licitum ſit pecuniam in infinitum appetere & cumulare? 108
17 An operæ elocatio ſit medium acquirendi rem familiarem homine liberali dignum? 111
18 An Paterfamilias de domo præſertim propria acquirenda ſolicitus eſſe debeat, & quæ in ea ædificanda ſpectare? 112
19 An liceat Patrifamilias rem familiarem per luſum & certamen depoſito pignore acquirere? 113

OECONOMICÆ LIBER II.

In quo de adminiſtratione domus agitur.

De generali adminiſtratione familiæ. CAP. I.

1 An Paterfamilias iure imperium in ſuos domeſticos habeat? 116
2 An Patrisfamilias imperium ſit diuerſum, & diuerſo modo adminiſtrandum? 117
3 An maritus iure imperiū habeat in ſuam vxorem? 118
4 An marito rectè olim poteſtas vitæ & necis in liberos conceſſa fuerit? 120
5 An parentes iure imperiū habeāt in ſuos liberos? ib.
6 An patri rectè olim poteſtas vitæ & necis in liberos conceſſa fuerit?
7 An herus iure imperium habeat in ſuos ſeruos? 123
8 An imperium herile à dominico differat? 124
9 An hero rectè olim poteſtas vitæ & necis in ſuos ſeruos fuerit conceſſa? 125
10 An imperium maritale rectè cōparetur imperio politico, paternum, regio; herile, tyrannico? 126
11 An vxor, marito; liberi, parentibus? ſerui, ſuo hero in omnibus obedire teneantur? 127
12 An imperium domeſticum vllo modo ſit concedendum mulieri? 128

INDEX

De officiis Patrisfamilias erga domeſticos, & vice verſa. CAP. II.

1 An Paterfamilias omnes ſuos domeſticos amare & curare debeat? 132
2 An Paterfamilias bono exemplo omnibus ſuis domeſticis prȩire debeat? 133
3 An domeſtici erga Patremfamilias ſe reuerētes, obedientes, ſedulos & fideles præſtare debeant? 134

De officiis coniugum tum communibus tum proprii. CAP. III.

1 An coniuges ſeſe mutuo amare & honorare debeāt? 136
2 An coniuges fidem coniugalem inuiolatam ſeruare debeant? 137
3 An coniuges mutuam inter ſe concordiam colere debeant, & quomodo? 139
4 An coniuges inter ſe communionem tam bonorum, quam malorum habere debeant? 140
5 An coniuges mores & næuos vtriuſq; inter ſe patienter tolerare debeant? 141
6 An cōiuges cōmunē domus curā habere debeāt? ibid.
7 An maritus in benè regenda & curanda vxore magnā diligentia adhibere debeat? 144
8 An liceat marito vxorem ſuam verberare, aut alias duriter & iniurioſè tractare? 146
9 Vtrum maritus vxorem: an contra vxor maritum alere & ſuſtentare debeat? 148
10 An maritus debeat vxorem ſuam aduerſus iniuriam aliorum defendere? ibid.
11 An maritus ſuæ vxori omnia arcana cōcedere debeat? 150
12 An maritus debeat eſſe zelotypus? 151
13 An vxor maritum pro capite & domino ſuo agnoſcere debeat, eiq; debitam obſeruantiam & obſequium præſtare? 152
14 An vxor mariti ſui næuos & mores etiam difficiles æquo animo tolerare debeat? 154
15 An vxor precari pro marito debeat, ne quid ei aduerſi eueniat; & ſi quid aduerſi ei adueniat, planè eadē eſſe erga illum, quæ fuit in rebus ſecundis? 159
16 An vxor maritum iuuare debeat in adminiſtrandā domo, & quomodo? 158

17 An ſecreta matrimonii ſint diuulganda? 158
18 An honeſtam matronam deceat mortuo marito, alteri nubere? 160

De officiis parentum & liberorum. CAP. IV.

1 An amor parentum erga liberos, & vice verſa propriè innaſci dicatur? 166
2 An parentes naturaliter magis ament liberos, quam liberi parentes? 167
3 An mater naturaliter magis amet liberos, quam pater? 168
4 An quilibet amor parentum erga liberos ſit honeſtus & licitus? 170
5 An parentes de liberis benè procreandis ſoliciti eſſe debeant? ibid.
6 An parentes ſummam curam adhibere debeant in liberis benè educandis? 172
7 Quomodo vxor grauida ſe gerere debeat? 174
8 An mater liberos ſuos proprio lacte alere debeat? 175
9 An de recta membrorum corporis in liberis conformatione & exercitatione debeat parentes eſſe ſoliciti? 178
10 An ploratus infantum ſit cohibendus? 180
11 An infantes ad frigus tolerandum ſint aſſuefaciendi? 181
12 An in liberis benè educandis victus ſit habendus delectus? 183
13 An à primis incunabulis diſciplina ſeu inſtitutio liberorum ſit inchoanda? 185
14 An ludi pueriles ſint permittendi liberis? 187
15 An pueris ſint proponendæ, aut narrandę fabulæ? 188
16 An pueri ab omni adſpectu & loquela rerum turpiū & obſcœnarum ſint arcendi? 189
17 An publica puerorum in ſcholis inſtitutio ſit præferenda priuatæ ſeu domeſticæ? 190
18 An Pædagogi liberis ſint præficiendi & quales? 193
19 An liberi ſint caſtigandi, & quomodo? 194
20 An parẽtes bono exẽplo liberis ſuis prçire debeãt? 199
21 Quę liberorum erga parentes ſint officia, & cur hæc a liberis ſint præſtanda? 197
22 An liberi parentibus vnquam parem gratiam referre poſſint? 199

Digitized by Google

23 An liberi rectè dici poſſint inobedientes, qui parentibus per omnia non obſequuntur? 201
24 An parentum imprecationes & execrationes liberis diligenter ſint vitandæ? 202
25 An liberi propter peccata parentum à Deo interdum puniantur? 203
26 Quomodo liberi erga ſe inuicem, ſeſe gerere debeant? 204

De officiis heri & ſeruorum? CAP. V.

1 An doctrina de officiis heri & ſeruorum, ſimul includat doctrinam de officiis heræ & ancillarũ? 206
2 An maioris artis ſit regere, quam habere ſeruos? 207
3 Quomodo herus ſeruos ſuos benè regere debeat? 208
4 An virtus ſerui tota ad herũ ipſius ſit referenda? 210
5 Quomodo ſeruus erga herũ ſuũ ſe gerere debeat? ibid.
6 Quomodo ſeruus erga conſeruum ſuum ſe gerere debeat? 212

De adminiſtratione rei familiaris? CAP. VI.

1 An recta rei familiaris adminiſtratio ſit neceſſaria? 216
2 An paterfamilias omnium, quę in domo ſunt & fiunt, curam ſuſcipere debeat? 218
3 An cura cuſtodiendi bona domeſtica, magis conueniat Matrifamilias, quam Patrifamilias? 220
4 An Paterfamilias non tantum inuentarium ſuarum poſſeſſionum, ſed etiam tabulas accepti & expenſi in promptu habere debeat? 222
5 An bona domeſtica præſertim ſupellectilia benè ſint diſponenda, ordinanda & diſtinguenda? ibid.
6 An Paterfam. debeat eſſe ſumptuoſus & emax. 223
7 An Paterfamilias omnem luxum in victu & veſtitu, aliiſq; rebus vitare debeat? 225
8 An Materfamilias mundi & ornatus muliebris nimiũ debeat eſſe ſtudioſa? 226
9 An Atticus modus adminiſtrandi rem familiarem, ſit præferendus Perſico? 229
10 An ædificatio temeraria & æris alieni conflatio Patrifamilias ſit fugienda? 230
11 An conuiuia interdum à Patrefamilias ſint inſtituenda & quomodo? 231

OECO-

OECONOMICÆ LIBER I.

In quo de conſtitutione domus agitur.

CAPVT I.

De definitione & partitione, cum Ethicæ ſpecialis, tum Oeconomicæ.

PRÆCEPTA.

1 H*Actenus explicata eſt* Ethica generalis, *Sequitur* Ethica ſpecialis, *quæ eſt ars modum probe honeſteq; viuendi ad certam ſocietatis humanæ ſpeciem determinatum explicans.* *Definitio Ethicæ ſpecialis.*

2 *Eaque diuiditur in Oeconomicam & Politicam.* *Partitio.*

3 *Oeconomica eſt ars, quæ modum tradit bene conſtituendi & adminiſtrandi domum.* *Definitio Oeconomicæ.*

4 *Eius partes ſunt duæ: Vna eſt conſtitutrix domus; altera eiuſdem adminiſtratrix.* *Partitio.*

QVÆSTIONES.

1. *An in Ethica ſpeciali de qualibet ſocietate humana agatur?*

PRo enodatione quæſtionis propoſitæ pauca præmittenda videntur de natura & diſtributione ſocietatis huma-

Societas humana quid ſit. Quotuplex. næ. Hæc vero nihil aliud eſt, quam cœtus hominum rei alicuius communione ſociatus. Eſtque vel generalis, vel ſpecialis. *Generalis ſocietas humana quid ſit.* Generalis eſt, qua omnes homines inter ſe vinculo communis naturæ, præſertim rationis & orationis inter ſe ſunt coniuncti. *Specialis quid. Et quotuplex.* Specialis eſt, qua certum genus hominum inter ſe eſt coniunctum. Eaque rurſus vel eſt Eccleſiaſtica, vel ſecularis: quarum illa rerum ſacrarum & ſpiritualium: hæc rerum corporalium & terrenarum communione conſtat. Et ſecularis quidem ſocietas iterum vel eſt domeſtica, vel ciuilis: quarum illa eſt inter homines eiuſdem familiæ; & ſub ſe complectitur ſocietatem coniugalem, paternam & herilem: hæc vero eſt inter homines eiuſdem ciuitatis. Hinc igitur patet in Ethica ſpeciali non agi de qualibet ſocietate humanâ, ſed tantum de ſeculari; eaque partim domeſticâ, partim ciuili. Illa enim duntaxat docet, quomodo homo in ſocietate domeſtica aut ciuili conſtitutus rectè viuere debeat. Ideoq; neceſſe habet, vt ſimul tradat, quid ſit vtraque ſocietas, & quæ ad eam conſtituendam & adminiſtrandam requirantur.

Defenditur theſis affirmatiua.

2 *An Ethica ſpecialis rectè diuidatur in Oeconomicam & Politicam?*

Oeconomica & Politica differt ſecundum Ariſtotelem. ARiſtoteles lib. 1. Oeconomicæ cap. 1. diſtinguit inter Oeconomicam & Politicam tanquam diuerſas partes Philoſophiæ practicæ. Docet enim illas inter ſe differre. 1. Subiecto, quod in
1. Oeconomicâ eſt dom⁹, in Politicâ, ciuitas. 2. Nu-
2. mero imperantium, quorum multi ſunt in ciuili

tili ſocietate; vnus verò tantum in ſocietate domeſtica. 3. Fine, qui in Politica eſt, partim rectè conſtituere ciuitatem; partim ciuitate conſtituta rectè vti: In Oeconomica vero partim eſt rectè conſtituere domum; partim domo conſtituta rectè vti. 3. 4. Ordine generationis, quod Oeconomica ſecundum illum prior eſt Politica. 4. Iuxta hanc igitur ſententiam Ariſtotelis, quam alii etiam Peripatetici ſequuntur, Ethica ſpecialis rectè diuiditur in *Oeconomicam & Politicā*: præſertim cum partes illæ inter ſe diſſentiant, & cum toto conſentiant: eoq; neq; ſunt latiores, neq; anguſtiores.

At reperiuntur nonnulli Philoſophi, qui hanc diſtributionem improbant & reiiciunt moti ſequentibus argumentis. *Pro theſi negante argumenta.* 1. Quia domus eſt pars ciuitatis, teſte Ariſtot. 1. Oecon. cap. 1. 1. Ergo etiam Oeconomica eſt pars Politicæ. 2. Quia non decet partem diuellere à toto. 2. Ideoque vbi agitur de toto; ibi etiam agendum eſt de omnibus partibus totius. Et ſic Oeconomica non eſt conſtituenda pars Ethicæ ſpecialis à politica diſtincta; ſed potiùs ad eam tanquam pars ad ſuum totum eſt referenda. 3. Quia perinde eſt ſeiungere Politicam ab Oeconomica; 3. ac ciuitatem à familia diſtrahere; vel verbum ſine ædificiis exſtruere; vel membra ſingula ab ipſius corporis vniuerſi compage diuellere. 4. Quia ipſe Ariſtoteles libr. 1. Polit. omnia 4. illa explicat, quæ in Oeconomica ſolent doceri: Ergo ipſo facto indicat Oeconomicam ad Politicam referendam eſſe. Pro ſolutione argumentorum notandum eſt, Domum in Ethica

Fundamentum ſolutionis iacitur. ſpeciali duobus potiſſimum modis conſiderari; primum abſolute, quatenus conſtat ex familiâ & re familiari, ſine reſpectu ad ciuitatem: & ſic ordine naturæ generantis priorem eſſe ciuitate: Deinde reſpectiuè, quatenus eſt pars ciuitatis, & ſic naturâ ſimul eſſe cum ciuitate. Ac priore quidem modo conſiderari domum in Oeconomica; Poſteriore vero in Politica.

Soluuntur argumenta pro theſi negante. Quod igitur ad argumenta pro theſi negante adducta attinet, in primo partim eſt æquiuocatio in vocabulo *Domus*, quod modo abſolutè, modo
1. reſpectiuè vſurpatur: partim antecedens non eſt ſimpliciter verum, ſed tantum ſecundum quid, nempe quatenus intelligitur de domo reſpectiuè conſideratâ: partim etiam conſequens ex antecedente non neceſſariò infertur, cum Oeconomica domum non reſpectiuè, ſed abſolutè conſi-
2. deret. In altero conceditur quidem, quod pars à toto non ſit diuellenda; ſed ibi agendum de partibus totius, vbi agitur de toto. Sed inde non ſequitur Oeconomicam non eſſe conſtituendam partem Ethicæ ſpecialis à Politica omnino diſtin-
3. ctam propter rationem ſuprà allatam. In tertio
4. eſt fallacia falſorum imparium. In quarto antecedens quidem negari non poteſt; ſed inde non infertur, Oeconomicam ad Politicam eſſe referendam: tum quia ipſe Ariſtoteles illam ab hac diſtinguit, vt ſuprà oſtenſum fuit: tum quia lib. 1. Polit. Domus videtur conſiderari non abſolute; ſed reſpectiue tanquam pars ciuitatis: tum quia licet ipſe Philoſophus ea, quæ ad Oecomonicam pertinent, lib. 1. Polit. traderet, indè tamen nihil contra theſin affirmantem concludi poſſet: cum quæ-

ratur,

ratur, non quid factum ſit; ſed quid fieri debuerit.

3. *An Oeconomica ante Politicam ſit tradenda?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1. *Pro ſententia*
Quia Oeconomica ordine naturæ & doctri- *affirmatiua*
næ prior eſt politicâ, quatenus verſatur circa fa- *Ratio* 1.
milias, ex quarum multitudine ciuitas conſtituitur, & ad politicam diſcendam viam nobis
planam & expeditam ſternit. 2. Quia domus ab- 2.
ſolutè conſideratâ natura prior eſt ciuitate eique prima principia & fundamenta ſuppeditat. Illam
autem conſiderat Oeconomica; hanc politica. 3. 3.
Quia finis Oeconomicæ habet ſe ad finem Politicæ tanquam intermedius ad vltimum. Ille autem hunc præcedit.

At contra hanc ſententiam alii obiiciunt, 1. Ci- *Obiectiones.*
uitatem natura priorem eſſe domo & ſingulis ho- 1.
minibus, non ſecus ac totum parte, teſte Ariſtotele lib. 1. Polit. cap. 1. cum ait: πρότερον τῇ φύσει πόλις, ἢ οἰκία, καὶ ἕκαστος ἡμῶν ἐστι. Τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους. Proinde Oeconomicam ante Politicam
eſſe tradendam. 2. Τὸ τέλειον πρότερον τῇ φύσει τοῦ ἀτελοῦς, 2.
hoc eſt, perfectum natura prius eſſe imperfecto. 1. *De cœlo cap. 2.* Semper enim naturam intendere id, quod eſt perfectius. Politicam autem perfectiorem eſſe Oeconomica. Ideoque ab Ariſtote-
le dici κυριωτάτην πασῶν ἐπιστημῶν, καὶ ἀρχιτεκτονικήν. 3. Oe- 3.
conomicam ſubiectã eſſe Politicæ, tum quod illa leges adminiſtrandi domum ab hac accipit: tum quod illius finis ad hanc refertur, tanquam ſubor-
dinatus ad vltimum. 4. Ariſtotelem lib. 10. Eth. ad 4.
Nicomachum promittere ſe poſt Ethicam, non

de Oeconomicâ, ſed de Politica acturum eſſe. Ideoq; ſuo ipſius exemplo demonſtrare, Oeconomicam ante Politicam non eſſe tradendam.

Soluuntur Obiectiones Reſpondeo ad priores duas Obiectiones in iis partim fallaciam ambiguitatis in phraſi illa *naturâ prius eſſe*; quæ duobus modis poteſt intelligi, vel
1. 2. de ordine generationis, vel de ordine interitionis naturæ: partim fallaciam conſequentis. Ciuitas enim dicitur naturâ prior domo: & perfectum, imperfecto, non ordine generationis, ſed intentionis naturæ. Sed inde non ſequitur Oeconomicam ante Politicam non eſſe tradendam.
3. Ad tertiam obiectionem reſpondeo, in eâ primum peti principium. Oeconomica enim nō eſt ſubiecta Politiæ, quatenus hæc propriè pro tertia parte Philoſophiæ practicæ ab Ethica generali & Oeconomicâ diſtinctâ vſurpatur; nō autē impropriè pro tota Philoſophiâ Practica: Neq; Oeconomica à Politica leges adminiſtrandi domum accipit, quatenus domus abſolute conſideratur ſine reſpectu ad ciuitatē; ſed tantum quatenus reſpectiuè ſumitur pro parte ciuitatis. Deinde ex eo, quod finis Oeconomicæ ad finē Politicæ refertur, tanquā ſubordinatus ad vltimum, non ſequi Oeconomicam poſt Politicā eſſe tradendā.
4. Ad quartā obiectionē reſpōdeo, Ariſtotelem ſub finem Ethicę facere mentionē Politicæ deinceps à ſe docendæ tanquam principalis partis totius Philoſophiæ practicæ, ad quam etiam ipſa Ethica & Oeconomica tanquam ad ſcopum primarium reſpiciunt: ſed inde non poſſe colligi, Politicam ante Oeconomicam ſtatim poſt abſolutam Ethicam eſſe tradendam.

4. *Quod*

Digitized by Google

4 *Quod ſit ſubiectum, & quis finis Oeconomicæ?*

IN omni diſciplina operatrice inprimis ſubiecti & finis ratio eſt habẽda: cũ ab his duob. eſſentia ipſius potiſſimũ pendeat. Cũ igitur Oeconomica etiã ſit diſciplina operatrix: idem in illa omnino eſt faciendum. Quod igitur ſubiectũ attinet Oeconomicæ, illud Ariſtot. lib. 1. Oeconomicæ ca. 1. ſub initium docet eſſe *οἰκίαν*, hoc eſt, domum: Alii ſtatuunt eſſe ſocietatẽ domeſticam: alii familiam: alii rem familiarem: alii familiam ſimul & rem familiarem, ſeu, quod idẽ eſt, homines, qui familiã cõſtituunt, & poſſeſſiones domeſticas. Ex quibus ſententiis prima, ſecunda, quarta & vltima in vero ſenſu planè coincidunt. Et propterea etiam ipſe Ariſt. li. 1. Oecon. c. 2. inquit: *μέρη οἰκίας ἄνθρωπός τε καὶ κτῆσίς ἐστιν*, hoc eſt, *partes domus ſunt homo & poſſeſſio*. Vbi per hominem intelligit familiã, quæ ex hominibus conſtituitur; per poſſeſſionem vero ipſam rẽ familiarem. Et lib. 1. Polit. cap. 3 & 4. aſſerit domum cõſtare ex hominib liberis & ſeruis, & poſſeſſionẽ eſſe partẽ domus. Tertia vero & quarta in eo differunt à reliquis, quod partem tantum vnam domus exprimunt, nempe vel familiã, vel rem familiarem. Etſi vero nulla ex his ſententiis ſimpliciter reiicienda eſſe videtur: cùm ſingulæ, ſi nõ ex toto, ſaltẽ ex parte ſubiectum Oeconomicæ attingãt: tamẽ ad veritatẽ mihi propius accedere videtur, qui ſtauit propriũ & adæquatum ſubiectũ tractationis in Oeconomica eſſe modũ bene cõſtituendi & adminiſtrãdi domum. In illo .n. docẽdo & explicãdo tota diſciplina occupatur: & ex illo veluti cẽtro omnia eius præcepta ſuã habent

De ſubiecto Oeconomicæ diuerſæ opiniones recenſentur.

1. 2. 3. 4. 5.

Superiores opiniones examinantur.

Verior ſententia exponitur.

originem, viciſſimq; ad id rediguntur. Et hoc etiam ſatis clarè innuit Ariſtoteles, cum lib. 1. Oecon. c. 1. inquit: τῆς οἰκονομικῆς καὶ κτήσασθαι οἶκον καὶ χρήσασθαι αὐτῷ. hoc eſt: *Oeconomicæ eſt aquirere domum & ea uti* Licet enim in illis verbis tantum finem Oeconomicæ exprimat: tamen ex fine facilè ſubiectum ipſum tractationis colligi poteſt, qui eſt modus acquirendi ſeu conſtituendi domum, & ea vtendi ſiue eam adminiſtrandi. Porro finis Oeconomicæ ſecundum Ariſtotelē, vt iā dictum eſt, partim bene cōſtituere domum, partim domum conſtitutā bene adminiſtrare. Secundū alios vera eſt modo felicitas priuata & domeſtica; modo recte gubernare familiā ſeu dirigere & cōponere familiam ad honeſtatem, vtilitatem, iucunditatem & dignitatem; modò probe honeſteq; viuere in ſocietate domeſtica; modò benè curare ſeu adminiſtrare rem familiarem. Ex quibus ſententiis prima quidem proprium & adæquatum finem Oeconomicæ attingit. Cum qua etiam congruit ſecunda in ſano ſenſu. Reliquæ vero finem aut vltimum aut intermedium partialem exprimunt. Sed nulla proximum explicat, qui eſt tradere modum benè conſtituendi & adminiſtrandi domum.

De fine Oeconomicæ diuerſæ opiniones recenſentur & examinantur.

5. Quid ſit Oeconomica, & quomodo diſtribuenda?

1. OEconomica ab aliis definitur modò pruden-
2. tia benè adminiſtrandi domum: modò, prudentia dirigendæ familiæ ad id, vt ſit honeſta, iu-
3. cunda & honorata: modò doctrina rectè guber-
4. nandi familiam: modò, doctrina benè curandi

ſeu

ſeu adminiſtrandi rem familiarem: modò, ars benè viuendi in ſocietate domeſtica. Ex quibus definitionibus priores duæ laborant partim vitioſo genere, cum Oeconomica prout certis præceptis traditur & conſtat, non conſideretur vt habitus, ſed vt ars ſyſtematica: partim etiam vitioſa differentia generi addita: quatenus neque finem, neque ſubiectum Oeconomicæ perfectè explicant. Similiter tertia & quarta partim remotum genus; partim ſubiectum & finem partialem Oeconomicæ explicant. Poſtrema autem rectè intellecta videtur eſſe legitima, & reipſa ea, quæ à me in præceptis eſt tradita, non diſcrepare. 5.

Diuerſa definitiones Oeconomicæ exponuntur & examinantur.

Cæterum diſtribuitur vulgo Oeconomica in duas partes; quarum prima tractat de familia ſeu ſocietate hominum domeſtica: altera de re familiari ſeu poſſeſſione domeſtica. Ac videtur illa diſtributio eſſe ſumpta à partibus domus, quas Ariſtoteles duas facit, vt in præcedente quæſtione dictum eſt, vnam hominem; alteram poſſeſſionem. Sed magis approbanda videtur diſtributio illa bipartita, qua vna Oeconomicę pars modum bene conſtituendi domum; altera modum benè adminiſtrandi domum explicare dicitur. Illa enim eſt ſumpta ex proprio & adęquato ſubiecto tractationis, circa quod Oeconomica verſatur. Et hanc etiam videtur innuere Ariſtoteles, quando lib. 1. Oecon. cap. 1. inquit: τῆς οἰκονομικῆς καὶ κτήσασθαι οἶκον, καὶ χρήσασθαι αὐτῷ, hoc eſt: *Oeconomicæ eſt acquirere domum & ea vti.* Vnde etiam verbis eiuſdem Philoſophi non incommodè prima pars Oeconomicę appellari poſſet κτητικὴ; altera χρηστική. Tametſi Latino vocabulo malue. im primam vocare conſtitutricem domus; alteram eiuſdem adminiſtratricem.

Oeconomicæ partitio explicatur.

CAP. II.

De natura domus & familiæ.

PRÆCEPTA.

1 *Conſtitutrix domus eſt prima pars Oeconomicæ, quæ tradit modum bene conſtituendi domum.*

2 *In illa conſideranda natura domus, & eius partes*

Domus quid ſit.

3 *Domus eſt ſocietas priuata hominum, & rerum domeſticarum vnius Patrisfamilias imperio ſubiecta.*

4 *Eius partes ſunt familia, & res familiaris.*

5 *Familia eſt cœtus hominum ex vno Patrefamilias, aliisq́, qui ſub eius imperio viuunt, conſociatus.*

6 *Eius cauſæ tum externæ, tum internæ ſunt conſiderandæ.*

QVÆSTIO I.

1. *Quid ſit domus & familia, & quomodo inter ſe differant.*

Æquiuocatio vocabuli domus excutitur.
Propria ſignificatio.
Impropria ſignificatio;

VOcabulum *domus*, quod Græcè dicitur οἶκος vel οἰκία, eſt homonymum. Illud.n.propriè ſignificat ædificium, in quo paterfamilias cum ſuis degit: Et ſic numeratur inter ſpecies rei familiaris ſeu poſſeſſionis domeſticæ. Impropriè vero ſumitur partim pro familia tãtum;
.1 partim pro eo, quod ex familia & re familiari, tanquam partibus inte-
.2 grantibus eſt cõpoſitum. In prima ſignificatione impro-

impropria vſurpatur domus, cum ab Ariſtotele 1. Polit 2. definitur κοινωνία κατὰ φύσιν εἰς πᾶσαν ἡμέραν συνεστηκυῖα, hoc eſt, *ſocietas* (hominum ſcilicet) ***naturalis ad quotidianum vitæ vſum conſtituta.*** In altera ſignificatione vſurpatur, cum ab eodem domus partes duæ eſſe dicuntur, homo & poſſeſſio. 1. Oecon. 2. 1. Pol. 3. Et ſic rectè definitur ſocietas priuata hominum & rerum domeſticarum vnius patrisfamilias imperio ſubiecta. Familia autem à Bodino lib. 1. de Rep. cap. 2. definitur, quod ſit ***plurium ſub vnius patrisfamilias imperium ſubditorum, earumq; rerum, quæ ipſius propria ſunt, recta moderatio.*** Quæ definitio ſi ad trutinam Logicam & ipſius veritatis examinetur, planè non poteſt conſiſtere. Nam primum falſum genus in ea aſſignatur. Recta enim gubernatio non eſt genus familiæ, ſed diuerſo reſpectu partim eius adiunctum occupatum? partim cauſa cõſeruans. Et hoc etiã ipſe Bodinus in citato loco teſtatur; dum diſtinguit inter familiã & rectã eiuſdem moderationem ſeu gubernationem. Hinc enim fit, vt familia ad tempus poſſit conſiſtere ſine recta ipſius moderatione, vt quoditiana experientia teſtatur. Id autem fieri non poſſet, ſi recta moderatio eſſet genus familiæ, aut ſaltem de eſſentiâ ipſius. Deinde confunditur in eâ familia cum re familiari: quæ tamen fuiſſent à ſe inuicem diſtinguenda, tanquam diuerſæ partes domus. Deniq; ad familiam conſtituendam referuntur tantum illæ perſonæ, quæ ſub vnius ac eiuſdem Patrisfamilias imperium ſunt ſubditæ; non vero ipſe Paterfamilias; qui tamen principalis pars eſt, & veluti caput illius; vt infra probabitur. Et

Domus definitio perfecta traditur.

Definitio Familiæ à Bodino tradita exponitur & refutatur.

1. Vitium.

2.

3.

Alia definitio refellitur. hoc vitio etiam laborat aliorum definitio, quâ familia dicitur *ſocietas domeſtica hominum ſub vnius Patrisfamiliâs imperio viuentium.* *Vera definitio aſſignatur.* Proinde familia perfectius videtur definiri poſſe, ſi dicatur *cœtus hominũ ex vno Patrefamiliâs, aliiſq́ue, qui ſub eius imperio viuunt, conſociatus.* *Differunt domus & familia.* Ex quo porro patet, familiam à domo in ſecunda ſignificatione impropriâ accepta tanquam partem à toto differre.

2. *An ſocietas domeſtica ordine naturæ & temporis prior ſit ciuili?*

Pro theſi affirmante Ratio 1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt, 1. Quia ſocietas domeſtica non tantum inter Adamum & Euam eorumque liberos extitit, antequam vlla fuit ciuitas conſtituta: ſed etiam omnibus ſeculis homines prius ſocietatẽ domeſticam, quam ciuilem inierunt. 2. Quia ſocietas ciuilis conflatur ex diuerſis familiis. Neceſſe igitur eſt, vt hæ prius, quam illæ extiterint. Sed contra hanc ſententiam obiici poteſt, quod Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 2. aſſerit, ciuitatem natura priorem eſſe, quam domum & vnumquemque noſtrûm. Reſpódeo, dictum Philoſophi eſſe verum, ſi partim intentionem Naturæ, partim perfectionem & dignitatem ſpectes; non autẽ ſi generationem. Quæ enim ordine generationis ſunt priora, illa ordine intentionis Naturæ & perfectionis ſunt poſteriora.

3. *An de familia rectè conſtituenda magis homo ſolicitus eſſe debeat, quam de re familiari?*

Pro theſi affirmante Ratio 1. 2. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt, 1. Quia ad domus conſtitutionem magis requiritur familia, quam res familiaris. 2. Quia ſine familia

milia rei familiaris acquiſitio, confirmatio & adminiſtratio conſiſtere non poteſt: cum illa ordine naturę hac ſuperior. 3. Quia ſicut fundator reipublicæ, magis de populo, quam de re populi rectè conſtituenda ſolicitus eſſe debet: ita etiam fundator domus de familia potius, quam de re familiari. 4. Quia mala conſtitutio familiæ longe peior & deterior eſt, quam rei familiaris; imò ab illa rei familiaris totiuſque domus ruina pendet. Idcirco non minus vere quam prudenter ait Ariſtoteles libro 1. Politicorum cap. vltimo, in principio: πλείων ἡ σπουδὴ τῆς οἰκονομίας περὶ τοὺς ἀνθρώπους, ἢ περὶ τὴν τῶν ἀψύχων κτῆσιν, καὶ περὶ τὴν ἀρετὴν τούτων, ἢ περὶ τὴν τῆς κτήσεως, ὃν καλοῦμεν πλοῦτον. hoc eſt: *Plus ſtudii in Oeconomia eſſe debet circa homines, quam circa rerum inanimatarum poſſeſſionem; & circa virtutem hominum, quam circa virtutem poſſeſſionum, quas vocamus diuitias.*

3.

4.

Cap. III.

De cauſis externis familiæ.

PRÆCEPTA.

1 *Cauſæ externæ familiæ ſunt finis & efficiens.* De fine familiæ.

2 *Finis familiæ alius eſt vltimus, alius ſubordinatus.*

3 *Finis vltimus eſt gloria Dei per familiam illuſtranda & amplificanda.*

4 *Subordinatus finis eſt vel proximus, vel remotus.*

5 *Proximus eſt partim vita domeſtica com-*

munio; partim præſtatio & communicatio mutua eorùm, quæ ad vitam domeſticam bene degendam ſunt vtilia & neceſſaria.

6 *Remotus eſt partim propagatio generis humani; partim Eccleſia & Reipublicæ conſtitutio, amplificatio & conſeruatio.*

7 *Efficiens familiæ alia eſt prima, alia ſecunda.*

8 *Prima eſt Deus Opt. Max. qui Adamum & Euam in principio mundi creauit, ac indiuiduo coniugii vinculo conſociauit ad propagandum genus humanum, primamque familiam conſtituendam.*

9 *Secunda alia eſt principalis, alia impulſiua.*

10 *Principalis partim eſt mutuus & legitimus conſenſus hominum in ſocietatem coniugalem ineuntium: partim naturalis ſobolis procreatio communi eorum opera facta: partim denique mutua heri & ſerui ad imperandi & parendi officia obligatio.*

11 *Impulſiua eſt partim appetitus naturalis procreandi ſobolem: partim neceſſitas & indigentia ſocietatis domeſticæ cum multiplici vtilitate coniuncta.*

1. *An natura recte ſtatuatur cauſa efficiens Familiæ?*

Pro ſententia affirmante Ratio 1.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt, 1. Quia Natura eſt communis parens omnium homi-

hominum, qui naturali modo generantur, & per conſequens etiam eorum, qui familiam conſtituunt. 2. Quia Natura indidit omnibus 2.
hominibus appetitum procreandi ſobolem, cuius inſtinctu impelluntur ad contrahendam ſocietatem coniugalem. 3. Quia Natura diuer- 3.
ſi ſexus homines generat, eorumque coniunctionem ordinat & exigit: cum fieri non poſſit, vt fœmina ſine mare, & mas ſine fœmina ſocietatem coniugalem ineat. 4. Quia Na- 4.
turæ vi ſobolis procreatio inchoatur & perficitur. Ex qua ſocietas inter parentes & liberos immediate exiſtit. 5. Quia Natura homini- 5.
bus adiumenta naturalia tribuit, per quæ apti ſunt ad dominandum & ſeruiendum, ſibiq; mutuo opitulari & prodeſſe poſſunt. 6. Quia Na- 6.
tura in beſtiis variis expreſſit ſimulachra, ſocietatis domeſticæ inter homines conſtitutæ, ſiue ſpectes coniugalem, ſiue paternam, ſiue herilem, ad ſignificandam originem familiæ. Proinde recte ait Cicero libro 1. Officior. *Natura impellit, vt hominum cœtus & celebrari inter ſe, & ſibi obedire velit, ob eaſque cauſas ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent ad cultum & ad victum, nec ſibi ſolis, ſed & coniugi, liberis, cæteriſque, quos charos habeat, tuerique debeat.*

At contra hanc ſententiam obiici poteſt, 1. Fa- *Obiectio* 1.
miliã pendere partim ab ordinatione Dei, partim à libera hominis voluntate & electione. Ideoque Naturæ, tanquam cauſæ efficienti non eſſe adſcribendam. 2. Nonnullos reperiri, qui à ſo- 2.
cietate domeſtica plane abhorrent, & vita ſolitaria delectantur. Id autem fieri non poſſe,

ſi Naturæ inſtinctu homo ad familiam conſtituendam impelleretur.

Solutio Obiectionis 1. Reſpondeo ad primam obiectionem, cauſas ſubordinatas inter ſe non pugnare, neque vel primam cauſam tollere ſecundam, vel, voluntatem hominis, ipſam Naturam. Ideoq; ex Anteceden-
2. ti non recte inferri conſequens. Ad alteram Obiectionem reſpondeo 1. paucorum indiuiduorum conditionem toti ſpeciei nihil præiudicare: neq; paucorum exempla extraordinaria communem regulã prorſus euertere. 2. nonnullos abhorrere à ſocietate domeſtica, & vitã ſolitariã delectari vel propter peculiare corporis temperamentum, præſertim melancholicum; vel propter ſingularem vocationem diuinam, vel propter prauum & corruptum ipſius de ſocietate domeſtica iudicium, ortum ex falſa & ſuperſtitioſa mentis perſuaſione, vel propter aliam cauſam occultam.

2. *An familia recte dicatur principium & ſeminarium Reipublicæ.*

Pro ſententia affirmatiua. *Ratio.* 1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt, 1. Quia Reſpublica ex familiis multis, & diuerſis originem ducit. Et propterea etiam à Bodino lib. 1. de Rep. cap. 1. definitur familiarum, rerumque inter ipſas communium ſumma poteſtate ac ratione moderata multitudo. 2. Quia finis familiæ
2. eſt Reipublicæ conſtitutio, amplificatio & con-
3. ſeruatio. 3. Quia ſicut ſeminarium proprie eſt locus, in quo plantæ generantur & educantur, donec ex eo in aliam terram transferantur. Sic etiã familia eſt quaſi ſeminarium, in quo homines varii, partim generantur, partim educantur & aluntur,

luntur, vt ex iis poſtea tum aliæ familiæ, tum ipſa Reſpublica conſtituatur & augeatur. Et hoc etiam teſtatur Cicero lib. 1. de officiis in doctrina de liberalitate, cum ait: *Prima ſocietas in ipſo eſt coniugio: proxima in liberis: deinde vna domus communia omnia.* Id autem eſt principium vrbis & quaſi ſeminarium Reipublicæ. Sequuntur fratrum coniunctiones; poſt conſobrinorum ſobrinorumq;, qui cum vnâ domo iam capi non poſſint, in alias domos, tãquam in colonias exeunt. Sequũtur cõnubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio & ſoboles origo eſt Rerumpublicarum.

Cap. IV.

De cauſis internis familiæ.

PRÆCEPTA.

1 *Fverunt cauſæ externæ familiæ. Sequuntur internæ, nempe Materia & Forma.*

2 *Materia familiæ ſunt homines priuati, ex quibus familia conſtituitur; cuiuſmodi ſunt Paterfamilias, & ii, qui ſub Patrisfamilias imperio viuunt.* **De Materia familiæ.**

3 *In illis vero conſideranda partim diſtinctio, partim ſocietas domeſtica.*

4 *Diſtinctio fit per ordinem, qui triplex inter illos reperitur.*

5 *Primi ordinis ſunt maritus & vxor: quo-* **Ordo perſonarum fa-**

milliam conſtituentium triplex. rum ille patrisfamilias, hac matrisfamilias nomen ſibi vendicat.

1. 6 Maritus eſt perſona domeſtica vxorem propriam habens.

2. 7 Vxor eſt perſona domeſtica maritum proprium habens.

8 Secundi ordinis ſunt parentes & liberi.

9 Parētes ſunt perſonæ domeſticæ liberos proprios habentes, cuiuſmodi ſunt pater & mater.

10 Liberi ſunt perſonæ domeſticæ parētes proprios habentes, cuiuſmodi ſunt filii & filiæ.

3. 11 Tertii ordinis ſunt herus & ſeruus: quorum ille nomenclatione ſuâ heram, hic ſeruam ſeu ancillam includit.

12 Herus eſt perſona domeſtica habens ſeruum.

13 Seruus eſt perſona domeſtica habens herum.

Societas domeſtica triplex. 14 Sic fuit diſtinctio hominum familiam conſtituentium. Sequitur eorundem ſocietas domeſtica, quæ eſt coniunctio legitima & mutua ad vitam domeſticam benè degendam.

15 Eſtq́; vel prima, vel à prima dependens.

1. Coniugalis. 16 Prima eſt ſocietas coniugalis, vulgo matrimonium, ſeu coniugium dicta, quæ nihil aliud eſt, quam coniunctio domeſtica & indiuidua vnius mariti & vxoris mutuo & legitimo vtriuſq́; conſenſu ſobolis procreandæ, mutuique

que auxilii & ſolatii conferendi gratia, inita.

17 *In illa recte contrahenda ſpectandæ ſunt conditiones certæ in perſonis contrahendis & coniungendis requiſitæ, quæ ſunt vel primariæ, vel ſecundariæ.*

18 *Primariæ ſunt qualitates tum animi, tum corporis.*

19 *Qualitates animi ſunt virtutes partim intellectuales; partim morales: in primis autem prudentia, & Chriſtiana pietas; quæ fons eſt omnium aliarum virtutum.*

20 *Qualitates corporis ſunt partim integritas & rectitudo membrorum, partim iuſta ſtaturæ proportio, partim habilitas ad contrahendum matrimonium.*

21 *Secundariæ ſunt genus, propinquitas generis, ætas & dos.*

22 *In genere requiritur, vt ſit honeſtum, nullaq; infamiæ macula notatum.*

23 *In propinquitate generis requiritur, ne ob ſanguinis cognationem gradum legitimum & licitum excedat.*

24 *In ætate requiritur, vt neq; ſit immatura, neq; penitus inæqualis.*

25 *In dote non tam quantitas pecuniæ, quã ſtatus, dignitas & facultas, neceſſaria vitæ ſubſidia acquirendi ſpectanda.*

26 *Tantum de prima ſocietate domeſtica,*

quæ præcipua eſt & fundamentum reliquarum. Sequitur ſocietas domeſtica à prima dependens, quæ duplex eſt, Paterna & Herilis.

2. Paterna. 27 *Paterna ſocietas eſt coniunctio domeſtica parentum & liberorum orta ex generatione naturali.*

28 *In illa rectè ineunda requiritur cura tū ipſius procreationis, tum vxoris prægnantis & parturientis.*

29 *Cura procreationis conſiſtit in legitimo, ſobrio, moderato & tempeſtiuo coniugum congreſſu.*

30 *Cura vxoris prægnantis & parturientis conſiſtit, partim in applicatione eorum, quæ faciunt, tum ad fœtum in vtero nutriendum, roborandum & tutandum; tum ad partum eius promouendum: partim in remotione & fuga eorum, quæ his ſunt contraria.*

3. Herilis. 31 *Herilis ſocietas eſt coniunctio domeſtica inter herum & ſeruum, orta ex mutua vtriusq; ad imperandum & ſeruiendum obligatione.*

32 *In illa rectè inſtituenda cura & neceſſitatis & delectus eſt habenda.*

33 *Cura neceſſitatis exigit, ne plures ſerui in familia alantur, quam domus indigentia, aut ſtatus conditio requirit.*

34 *Cura delectus exigit, vt ſerui eligantur, quorum fidelitas, & induſtria probata ſit & perſpecta.*

35 Ad.

35 Adhuc de materia familiæ. Reſtat forma, quæ conſiſtit in diſtincta & harmonica hominum familiam conſtituentium inter ſe coordinatione, & ad vnum corpus domeſticum, redactione. *De forma familiæ.*

1 *An Paterfamilias ſit pars familiæ?*

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta. 1. Quia Paterfamilias eſt dominus familiæ; quemadmodum notat Græcum vocabulum *οἰκοδεσπότης*. Ideoq; eius imperio familia eſt ſubiecta. Cum autem Dominus non ſit pars eius, cui imperat: ſequitur, neq; Patremfamilias poſſe eſſe partem familiæ. 2. Quia Paterfamilias eſt cauſa efficiens familiæ. Cauſa autem efficiens non eſt pars ſui effecti. 3. Quia familia eſt cœtus hominum ſub vnius Patrisfamilias imperio viuentium. Ad illum autem cœtum hominum non pertinet Paterfamilias tanquam pars; niſi velimus ſtatuere, illum ſub ſuo imperio viuere, quod eſt abſurdum. 4. Quia ſicut Deus non eſt pars mundi; neque Nauclerus pars nauis, neq; princeps pars ſubditorum: ita neque Paterfamilias eſt pars familiæ. *Pro theſi negante argumenta.* 1. 2. 3. 4.

At pro theſi affirmante adduci poſſunt hæ rationes. 1. Quia Paterfamilias primariò concurrit ad conſtituendam integritatem familię & ſine ea familia non poteſt conſiſtere, & dici integra. Ergo eſt pars primaria familiæ. 2. Quia quod dux eſt in exercitu, caput in corpore humano, id Paterfamilias eſt in familia: Ergo ſicut dux eſt pars princeps exercitus, caput pars princeps corporis humani: ita etiam Paterfamilias eſt pars princeps familiæ. *Pro theſi affirmante.* 1. 2.

Digitized by Google

Deciditur quæſtio per diſtinctionẽ.

Pro deciſione quæſtionis notandum eſt familiam modo ſtrictè ſumi pro illo tantum cœtu hominum, qui ſub Patrisfamilias imperio viuunt: modo latè pro cœtu hominum, qui conſtat ex Patrefamilias & iis, qui ſub eius imperio viuunt. In priore ſignificatione Paterfamilias nõ eſt pars familiæ: Et ſic etiam vera ſunt argumenta, quæ pro theſi negante fuerunt allata. In poſteriore vero non: Et ſic vocabulum *familiæ* ſupra in præceptis fuit vſurpatum, in eaq; vera etiam ſunt argumenta pro theſi affirmante allata.

2 *Quot perſonæ requirantur ad conſtituendam familiam.*

Bodini ſententia exponitur.

BOdinus lib. 1. de Rep. cap. 2. docet, vt ad collegium conſtituendum tres perſonæ neceſſariæ ſunt: ſic tres quoq. perſonas præter Patrẽ familiæ neceſſarias eſſe in familia definienda. Et paulo poſt addit, familiam ſuis omnibus numeris ac partibus ſine matrefamilias perfectam & conſummatam non videri. Ex eoq; fieri, vt quinque perſonis integra familia conſtituatur. Ariſtoteles vero libr. 1. Polit. cap 3. aſſerit: πρῶτα καὶ ἐλάχιστα μέρη οἰκίας δεσπότης, καὶ δοῦλος, καὶ πόσις, καὶ ἄλοχος, καὶ πατὴρ καὶ τέκνα: hoc eſt, *prima & minima partes domus ſeu familiæ ſunt. herus & ſeruus, maritus & uxor pater & liberi.* Etſi vero herus, maritus & pater reipſa ſunt vnus numero homo, vnaque perſona: tamen ratione inter ſe differunt & ob triplicem relationem, quaſi triplicem perſonam conſtituunt: vt ita ſecundum Ariſtotelem triplicis ordinis perſonæ videantur integram familiam conſtituere. Ex quibus primi ordinis

Ariſtotelis ſententia traditur.

ſunt

ſunt maritus & vxor: ſecundi ordinis parentes & liberi: tertii ordinis herus & ſeruus. Sed quæritur hoc loco, ***vtrum ſeruus inter partes conſtituẽtes familiam rectè numeretur?*** Ac pro ſententia quidem affirmante facit. 1. Quod eſt perſona domeſtica. 2. Quod cum ſuo hero peculiarem ſpeciem ſocietatis domeſticæ, quæ dicitur δεσποτικὴ, conſtituit. Sunt enim herus & ſeruus entia relata, quorum vnum ſine altero, neq; eſſe, neq; cognoſci poteſt. At in contrariam partem obiici poſſunt ea, quæ Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 4. de natura ſerui diſſerit. Definit enim eo in loco ſeruum κτῆμα καὶ ὄργανον τοῦ δεσπότου ἔμψυχον πρακτικὸν καὶ χωριστόν. hoc eſt, ***bonum poſſeſſum & inſtrumentum heri, animatum actiuum & ſeparatum.*** In qua definitione ſeruum appellat. 1. ***Bonum à ſuo hero poſſeſſum***: tum, quia ſeruus non eſt ſui iuris, ſed alterius imperio ſubiectus; & ſic totus in poteſtate ſui heri: tum quia ſeruus numeratur inter poſſeſſiones, quæ ſunt in poteſtate poſſidentis. Vnde etiam olim licebat ſeruos vendere & emere non minus, quam reliqua iumenta & pecora, per quam venditionem & emptionem tranſibant in alterius dominium & poſſeſſionem. 2. Vocat ***inſtrumentum heri***: quia herus, ſeu Paterfamlias eius opera & miniſterio vtitur ad exequenda negotia domeſtica. 3. Vocat ***inſtrumentum animatũ***, actiuum, ad differentiam inanimati, quod ſeipſum non mouet, nec quicquã agere poteſt, niſi moueatur ab alio. 4. Vocat ***inſtrumentũ ſeparatũ***, ad differentiam membrorũ corporis & aliorũ inſtrumẽtorũ, quę reſecta à ſuo corpore, vel remota à ſuo magiſtro vel opifice,

Seruum eſſe partem conſtituentem familiæ probatur.

1.

2.

Obiectio.

qui ea mouere & regere ſolebat, nihil amplius per ſe poſſunt agere vel efficere. Cum igitur ſeruus ex ſententia Ariſtotelis partim numeretur inter poſſeſſiones Patrisfamilias, partim inter inſtrumenta oeconomica; videtur ille ſine abſurditate inter partes familiam conſtituentes numerari non poſſe.

Solutio Obiectionis. Reſpondeo ad Obiectionem, ſeruum duobus modis conſiderari poſſe. 1. quatenus eſt perſona domeſtica, & pars herilis ſocietatis: & ſic eſſe partem conſtituentem familiæ. 2. quatenus eſt organum & κτῆμα Oeconomicum: Et ſic inter partes familiæ conſtituentes non rectè numerari.

3 *An neceſſe ſit perſonas illas, quæ familiam conſtituunt, habitare ſemper in vna & eadem domo?*

Sententia negatiua aliorum exponitur & refutatur. *Ratio.* SVnt nonnulli Philoſophi in ea opinione, non poſſe conſtitui familiam, niſi ex hominibus, qui in vna & eadem domo habitant: Et propterea eos vocant συνοίκους, ὁμοσιπύους, ὁμοκάπνους, ὁμοσιτίους, hoc eſt, *eiuſdem domus, foci, fumi & victus conſortes*. Sed hæc opinio non poteſt conſiſtere.
1. 1. Quia ad conſtituendam vnam familiam ſatis eſt ſi homines, ex quibus conſtat, ſub vnius Patrisfamilias imperio viuant: etiam ſi in diuerſis regionibus vel locis
2. habitent. 2. Quia ſi cohabitatio in vna & eadem domo ſimpliciter eſſet neceſſaria ad familiam: ſequeretur liberos & ſeruos, qui iuſſu & conſilio Patrisfamilias in peregrinis locis verſantur non amplius pertinere ad familiam, ex qua prodierunt. Quod tamen longè eſt abſurdiſſimum.

4 *An*

4 *An ſocietas coniugalis ſit bona & expetenda?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia à Deo ipſo immediatè ſtatim poſt creationem mundi in ipſo paradiſo, & quidem cum homo adhuc viueret in ſtatu innocentiæ, eſt inſtituta ſocietas coniugalis. Vnde etiam dicitur *ordinatio diuina*. 2. Quia finis illius eſt partim legitima ſobolis procreatio, partim mutui auxilii & ſolatii præſtatio. Hunc autem homo conſequi non poteſt ſine ſocietate coniugali. Idcirco rectè inquit Ariſtoteles li. 1. Oecon. c. 3. οὐ δύναται τὸ θῆλυ ἄνευ τοῦ ἄῤῥενος ἢ τὸ ἄῤῥεν ἄνευ τοῦ θήλεος ἀποτελεῖν τεκνοποιΐαν. Item: Οὐ μόνον τοῦ εἶναι, ἀλλὰ καὶ τοῦ εὖ εἶναι συνέργα ἀλλήλοις τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄῤῥεν ἐστί. 3. Quia neceſſaria eſt ad propagationem & conſeruationem generis humani: 4. Quia fundamentum eſt, ſeminarium & incrementum non tantum familiarum, ſed etiam Eccleſiæ & Reipublicæ. 5. Quia frenum eſt & medicamentum aduerſus ſcortationes, vagas & turpes libidines. Vnde etiam à Plutarcho in aureo libello de inſtitutione liberorum dicitur δεσμὸς τῆς νεότητος ἀσφαλέστατος, hoc eſt, *vinculum iuuentutis* (ſcilicet laſciuientis) *tutiſſimum*. 6. Quia naturæ legibus maxime eſt conſentanea. Illa enim non tantum homines συναγελαστικοὺς, hoc eſt, *gregales* generat; ſed etiam συνδυαστικοὺς, hoc eſt, *combinabiles*: vt mas cum fœmina, & fœmina cum mare συνδυασμὸν ineant & colant: Illa non tantum organis ſufficientibus generationis hominem inſtruit; eique naturalem procreationis appetitum inſerit, ſed etiam exemplo plantarum & beſtiarum, quæ ſingulæ vitam naturæ ſuæ conuenientem agunt, hortatur ad ſo-

Pro theſi affirmante. Ratio.
1.
2.
3.
4.
5.
6.

cietatem cõiugalem ineundam. Vnde etiam ma-
trimonium dicitur iure naturali eſſe inſtitutum.
Et Ariſtoteles lib. 1. Oecon. 3. ait: κοινωνία φύσει τῷ θή-
7. λει καὶ τῷ ἄῤῥενι μάλιστα ἐστιν. 7. Quia matrimonium a-
pud omnes gentes & populos approbatur, tan-
8. quam res honeſta, laudeq; & honore digna. 8.
Quia medium eſt primarium benè conſtituendi
9. & adminiſtrandi domum. 9. Quia maximum de-
10. cus & ornamentum domus eſt. 10. Quia ſine ſo-
cietate coniugali domus imperfecta eſt & manca,
teſte Hieroc. in libro de Nuptiis: οἶκος ἡμιτελὴς μὲν τοῦ
ἔντι ὁ τοῦ ἀγάμου, τέλειος δὲ καὶ πλήρης ὁ τοῦ γεγαμηκότος, *Do-
mus imperfecta quidem reuera eſt eius, qui ſine matri-
monio viuit: perfecta vero & integra eius, qui vi-
11. tam agit coniugalem.* 11. Quia ſine ſocietate con-
iugali neque familia, neque patria, neque Reſ-
publica, neq; vera Eccleſia Dei, neq; vera religio
ſeu cultus diuinus in hac vita conſeruari poteſt.
Idcirco rectè ait Plato lib. 6. De legibus: χρὴ τῆς
ἀειγενοῦς φύσεως ἀντέχεσθαι τῷ παῖδας παίδων καταλείποντα
ἀεὶ τῷ θεῷ ὑπηρέτας ἀνθ' αὐτοῦ παραδιδόναι. *Oportet na-
turæ perpetuitatem promouere, & filios filiorum re-
linquendo ſemper Deo miniſtros pro ſeipſo trade-
re.* Et Antipater in ſermone de Nuptiis, refe
rente Stobæo ſerm. 65. præclarè inquit: Οὐκ ἂν ἄλ-
λως δύναιντο αἱ πόλεις σώζεσθαι, εἰ μὴ οἱ βέλτιστοι τοῖς φύσεσι τῶν
πολιτῶν, ἢ τῶν γενναίων παῖδες τῶν προτέρων καθάπερ εἰ φύλ-
λων καλοῦ δένδρου ἀπομαραινομένων, καὶ ἀποῤῥεόντων, οὗτοι καθ'
ὥραν γαμοῖεν, καθάπερ μὲν τινας γενναίας βλαστοὺς διαδόχους τῇ πα-
τρίδι καταλιπόντες, οἱ θέλλειν αὐτὴν ἀεὶ ποιοῖεν, καὶ τὴν ἀκ-
μὴν ἀΐδιον φυλάττοιεν, καὶ ὅπου ἐφ' ἑαυτοῖς μηδέποτ' ἐπιτίθε-
σθαι τοῖς ἐχθροῖς, σχολαζόμενοι τοῦ καὶ ζῶντες καὶ ἀπαλλάξαν-
τες ἀμύνειν τῇ πατρίδι καὶ βοηθεῖν. hoc eſt: *Non a-
lia ratione conſeruari ciuitates poſſunt, niſi optimi qui-*

que

que cives & generoſorum filii prioribus tanquam arboris pulchra foliis marceſcentibus & defluentibus, ipſi tempeſtiue vxores ducerent, & liberos ceu generoſa quædam germina patriæ ſucceſſores relinquerent, qui ipſam ſemper florere, & in vigore perpetuo durare efficerent, & quantum in ſeipſis eſt nunquam hoſtibus oppugnatu facilem conſtituerent, hoc ſcopo ſibi propoſito, vt & viui & defuncti patriam tueantur & adiuuent. 2. Quia abſurdum eſt 12. vbiq; venari occaſiones amicitiarum, amicoſq; & ſocios comparare ceu futuros auxiliatores in vitæ difficultatibus: illam autem recreationem, auxilium & opem, quæ á Deo, Natura & legib. nobis ex ſocietate coniugali percipienda offertur, negligere ſibiq; non comparare. 13. Quia coniuges pro 13. duobus oculis quaternos habent: & pro duabus manibus totidem alias, quibus vna iunctis facilius poſſunt familiam & rem familiarem adminiſtrare. 14. Quia qui cœlibatum ſine iuſta & graui 14. cauſa ſequuntur, illi quantū in ſe eſt aras & tēpla Dei deſtruunt, Naturę bellum inferunt, familiam & patriam produnt, Rempublicam euertunt, deniq; perpetuitatē generis humani labefactare ac deſtruere conātur. Hinc Spartani mulctam ſtatuebant primam nō ducenti vxorem; alteram ſerò ducenti, tertiam & grauiſſimam illi, qui malā duxiſſet: neq; ad ludos & ſpectacula & conuiuia publica admittebant, qui vxores ducere nollent. 15. 15. Quia coniugium eſt typus communionis, quæ eſt inter Eccleſiam & Chriſtum. *Pro theſi negante argumenta.*

At contra pro theſi negante obiici ſolent hæc argumenta. 1. Quia ſocietas coniugalis priuat 1.

hominem libertate naturali, & in ſeruitutem o-
2. dioſam & moleſtam coniicit. 2. Quia principium & fons eſt multarum & variarum curarum, ſolicitudinum, moleſtiarum, aliorumq; incommodorum & malorum, quibus vitę tranquillitas turbatur & labefactatur.
3. 3. Quia auocat & abſtrahit hominem à ſtudio ſapientiæ, pietatis & virtutis, obiectis variis impedimentis, quæ familiæ & rei
4. domeſticæ cura ſecum affert. 4. Quia valdè periculoſum eſt ducere vxorem. Si enim pauper vxorem diuitem & benè dotatam duxeris, non vxorem, ſed dominam habebis, cui ſeruiendum erit: Sin vero pauperem & indotatam duxeris, iterum eris ſeruus, dum victum vtriq; & non tibi tantum acquirere cogeris. Hinc rectè ait Menander:

> Τὸ γαμεῖν ἐάν τις τὴν ἀλήθειαν σκοπῇ.
> Κακὸν μέν ἐστιν, ἀλλ' ἀναγκαῖον κακόν.
> *Vxorem ducere ſi quis veritatem conſideret,*
> *Malum quidem, ſed neceſſarium malum.*

5. 5. Quia cœlibatus coniugio longè eſt præferendus, tum, quia minus curarum & moleſtiarum ſecum affert; tum, quia libertatem naturalem homini ſartam tectamq; relinquit; tum, quia aptiorem hominem reddit ad ſtudium ſapientiæ & virtutis excolendum: in primis vero ad ſeruiendum Deo & Chriſto, quo cultu nihil homini in hac vita eſt ſalutarius. Hinc ſcitum eſt illud Philetæ: βίον καλὸν ζῇς, ἂν γυναῖκα μὴ ἔχῃς, *Bonam vitam viues, ſi vxorem non habueris.*

Solutio argumentorũ pro theſi negante.

Pro ſolutione horum argumentorum primum in genere dico, poſſe aliquid in ſe & per ſe, hoc eſt, ſuâ naturâ eſſe bonum, quod alicui non eſt bonum, ſed malum per accidens, hoc eſt, ob certas cir-

circumſtantias, aliaſq; cauſas accidentarias. Idcirco rectè ait Hierocles in li. de Nuptiis, vt Stobæus citat ſerm. 65. Συχνοῖς δή τισιν ἀφόρητος ἐγένετο ὁ γάμος, ἀλλ' οὐχὶ παρ' ἑαυτὸν οὐδὲ τῇ φύσει τοιαύδε τὴν μετὰ γυναικὸς εἶναι κοινωνίαν, ἀλλ' ὅταν γαμῶμεν ἃς μὴ δεῖ μετὰ τοῦ τοῦτο αὐτοὶ παντάπασιν ἀπειροβίως διακεῖσθαι καὶ ἀπαρασκεύως ἔχειν πρὸς τὸ τὴν ἡγᾶσθαι, οὕτω συμβαίνει χαλεπὴν καὶ ἀφόρητον γίνεσθαι τὴν κοινωνίαν. *Non paucis ſanè intolerabiles fuerunt nuptiæ, non quod ſua culpa, aut ſuapte natura talis ſit cum vxore communitas: ſed quando ducimus, quas non oportebat, & ipſi planè imperiti ſumus in vita, neq; inſtructi ad ducendam vt decet vxorem ingenuam: tum vſuvenit, vt difficilis & intolerabilis ſit ſocietas.* Vbi etiam paulò poſt ſubiicit hanc regulam: *Non oportet inculpata culpare, neq; ex imbecillitate noſtrâ, & vtendi ignorantia rebus crimen impingere.* — *Generalis.* 2.

Deinde in ſpecie reſpondeo ad primum argumentum, ſocietatem coniugalem nō priuare hominem libertate naturali, ſed illum certis cancellis circumſcribere, extra quos non ſit vagandum homini, ſi ea rectè vti velit ad gloriam Dei & propriam ſalutem. Imo tum veram libertatem hominem conſequi, quando abiecta libidinum ſeruitute, cui antea fuerat deditus, iam in coniugio incipit vitam caſtam agere. — *Specialis.* 1.

Ad alterum argumētum reſpondeo. 1, nullum huius vitæ bonum eſſe, cui non ſit aliquid acerbi admixtum: 2. coniugium quidem ſecum trahere varias curas & moleſtias; ſed illas à Deo mitigari aliarum honeſtiſſimarum voluptatum iucunditate; non ſecus ac medicamētum amarum à Medico ſuccis dulcibus temperari ſolet. 2.

Ad tertium argumentum reſpondeo, illud nō per ſe, aut ſaltem non ſimpliciter eſſe verum: ſed 3.

tantum per accidens, aut ſecundum quid. Ideoq; inde theſin negantem rectè concludi non poſſe.

4. Ad quartum argumentum reſpondeo, eſſe quidē periculoſum ducere vxorem ob dubium euētum, qui cùm ex aliis inopinatis cauſis, tum ex diuerſis coniugum moribus oriri poteſt. Sed propter eiuſmodi periculum matrimonium ſimpliciter non eſſe fugiendum; ſed per preces pias, & prudentum

5. circumſpectionem huic malo eſſe occurrendum.

Ad quintum & vltimum reſpondeo cœlibatū non ſimpliciter eſſe præferendum cōiugio, ſed tātum ſecūdum quid, quatenus id circumſtātiarum & cauſarum grauitas exigit. Neq; cōtrarium probari poſſe per rationes allatas. Si enim mala coniugii eum eiuſdem bonis conferantur, manifeſtum erit illa eſſe pauciora & minora, quam hæc ſunt. Imo interdum cœlibatus homini maiora mala, quā coniugium affert: quatenus homo deſtituitur neceſſariis ſubſidiis & auxiliis, & libertate ſua naturali abutitur ad omnis generis libidines turpes & illicitas exercendas.

5 *An Patrifamilias prima & præcipua cura ſit ſuſcipienda de ſocietate coniugali?*

Pro theſi affirmatiua

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia ſocietas coniugalis omnium ſocietatum domeſticarum eſt prima & fundamentum totius familiæ, teſte Hierocle in lib. de Nuptiis, cum ait: πρώτη καὶ στοιχειωδεστάτη τῶν κοινωνιῶν ἡ κατὰ τὸν γάμον. Semper autem fundamenti, ſuper quo totius ædificii ſtru-

2. ctura recumbere debet, prima & præcipua cura habenda eſt prudenti architecto. 2. Quia nihil ſtolidius eſt, quam ſine iudicio ad vxorem ducendam

cendam impetu planè cyclopico proruere, & quã affectus obiicit, ſtatim arripere & accipere. 3 Quia tota rei familiaris adminiſtrandæ ratio pendet à bona ſocietatis coniugalis conſtitutione. 3.
4. Quia ſocietas coniugalis benè inita fons eſt omnium bonorum domeſticorum, adeoque felicitatis Oeconomicæ, contra eadem malè inita fons eſt omnium malorum domeſticorum adeoque infelicitatis Oeconomicæ. Et propterea rectè canit Euripides: 4.

Οὐ πάντες οὔτε δυστυχοῦσι ἐν γάμοις,
Οὔτ' εὐτυχοῦσι· συμφορὰ δ' ὃς ἂν τύχῃ
Κακῆς γυναικὸς, εὐτυχεῖ δ' ἐσθλῆς τυχών.

Non omnes infortunati ſunt in nuptiis
Aut fortunati. Calamitas autẽ eſt ſi quis nact⁹ fuerit
Malam vxorem. Felix qui bonam nactus.

Idem in Oreſte:

Γάμοι δ' ὅσοις μὲν εὖ καθεστᾶσι βροτῶν,
Μακάριος αἰών. οἷς δὲ μὴ πίπτουσιν εὖ,
Τά τ' ἔνδον εἰσὶ, τά τε θύραζε δυστυχεῖς.

Quibuscunque hominibus benè conſtituta ſunt nuptiæ
Illorum beata eſt vita. Quibus autem male ceſſerint
Tum domi, tum foris, infortunati ſunt.

Cum quo etiã conſentiunt verſiculi illi Heſiodi:

Οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ' ἄμεινον
Τῆς ἀγαθῆς, τῆς δ' αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον ἄλλο.

Non enim aliquid vxore vir aſſequitur melius
Bonâ, mala verò rurſus non deterius aliud.

Hinc Scriptura ſacra bonam vxorem affirmat eſſe ſicut ſolem in mundo, & columnam aureã ſuper baſes argenteas, & exhilarare maritum, eiusque vitam prorogare, Eccleſ. 26. Contra melius eſſe docet *commorari cum leone & dracone, quam cum fœmina mala*: Eccleſ. 21. Et experientia quotidiana teſtatur ob nullas alias cauſas magis, quam

ob infauſta coniugia euenire, vt multæ Oeconomiæ ſint miſeræ, & tandem penitus corruant. Idcirco etiam Ariſtoteles lib. 1. Oecon. cap. 2. grauiter monet, vt ea, quæ ad conſeruationem mariti & vxoris pertinent, benè diſpenſentur. Et cap. 3. aſſerit, inter ea, quę ad homines ſpectant, primam de vxore ſuſcipiendam eſſe curam. Et ſanè non immeritò. Breuis enim cantiuncula eſt: *Tu ſis mea, ego tuus: Sed longum habet Epiphonema.*

6 *An coniugia ſint fatalia?*

Sententia affirmatiua defenditur & explicatur.

REperiuntur nonnulli, præſertim Epicuri de grege porci, qui putant coniugia non fato, hoc eſt, diuinâ prouidentia, ſed cœco quodam fortunæ arbitrio regi & iniri. Sed hæc ſententia eſt impia & nullo modo admittenda. Cum enim omnia, quæ in mundo fiunt diuinæ prouidentiæ ſint ſubiecta, & ab eâ dirigantur, abſurdum eſt coniugia ab illâ eximere. Sed interim cauendum eſt, ne vitantes Scyllam, incidamus in Charybdim. Non enim coniugia eo ſenſu ſunt habenda fatalia, quaſi illorum cauſa efficiens per ſe & ſolitaria ſit Deus, excluſis omnibus cauſis ſecundis: omniſq; eorum felicitas & infelicitas non aliundè quam à Deo pendeat. Fatemur quidem Deum ſolum inter cauſas, quæ requirūtur ad legitimum matrimonium contrahendum eſſe primariam, & ab ea omnes ſecundas per ſe ſubordinatas pendere. Interim tamen ſecundas cauſas non excludendas eſſe exiſtimamus, cuiuſmodi ſunt preces, prudentia, induſtria, conſenſus legitimus, & id genus aliæ. Deus enim dat nobis ſua bona, ſed per media à ſe ordinata. Quæ ſi negligantur & omittantur,

tantur, tantum abeſt, vt bona petita à Deo accipiamus: vt ſæpè ex iuſto Dei iudicio in pœnam negligentiæ noſtræ in contraria mala incidamus. Hinc fit, vt homo ſepè ſuâ culpa infelix matrimonium contrahat, quando ex imprudentia, vel propter ſolam formæ excellentiam, vel propter ſolam dotis magnitudinem vxorem ducit, non conſideratis iis quæ in connubio ſunt conſiderādā, nempe vtrum ſit pia an impia, vtrum moribus ſibi ſimilis, an diſſimilis: vtrū perita rei domeſticæ, an imperita? &c. Nec malè à quibuſdā dicitur, quod quædam connubia in cœlo, quædam in inferno ineantur. Quæ enim ſecundum leges connubiales à Deo & recta ratione ſancitas contrahuntur, illa meritò dicuntur in cœlo fieri. Deus enim illas approbat, & per prouidentiam ſuam per ſe afficit. Quæ verò contra eiuſmodi leges ineuntur, illæ meritò dicūtur in inferno fieri Deus enim illas non approbat, quatenus ſunt vitioſæ, neque per ſe illarum auctor eſt. Interim tamen omnia coniugia dicuntur fatalia, quatenus fato diuino vel fiunt, vel permittuntur fieri.

7 *An liceat vni viro multas ſimul vxores ducere, & vni fœminæ multos ſimul maritos habere?*

PRo theſi negante valent hæc argumenta. 1. Quia coniugium legitimum eſt coniunctio domeſtica & indiuidua vnius mariti & vnius vxoris. 2. Quia Deus in prima inſtitutione matrimonii facta in paradiſo vnum marem cum vnâ fæmina coniunxit, voluitq; vt duo tantum, non plures homines vi intimæ illius communionis vna

Pro theſi negante argumenta. 1. 2.

caro, hoc eſt, vna perſona fierent. Et propterea etiam Chriſtus Matth. 19. Phariſæos ſeipſum tentantes ad primam illam inſtitutionem reuocat, inquiens: *Qui ab initio fecit* (homines) *maſculum & fœminam fecit eos. Et dixit? Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Ex quibus verbis patet, Deum ab initio cum matrimonium inſtitueret, voluiſſe illud eſſe coniunctionẽ vnius cũ vno, hoc eſt, vnius mariti cum vna vxore, & vnius vxoris cum vno marito. Non autem vnius cum multis. Polygamia igitur ſimul facta cum prima inſtitutione coniugii, adeoq; cum voluntate ipſius Dei
3. inſtituentis expreſsè pugnat. 3. Quia naturę repugnat eiuſmodi polygamia: quippe quæ in pleriſq; beſtiis nobis illam vnius maris & fœminæ con-
4. iunctionem adumbrauit & ob oculos poſuit. 4. Quia rectæ rationi & omnibus legibus inde profectis reclamat, quę auerſantur & prohibent eiuſ-
5. modi polygamiam. 5. Quia adulterium committit teſte Chriſto Matth. 5. & 19. Marc. 10. & Luc. 16. qui *viuente priore vxore & non legitimè dimiſſâ aliam ducit.* Et ſi non licet aliam ducere di-
6. miſſa priore, multo minus priore retenta. 6. Quia polygamia repugnat typo, per quem matrimonium Chriſti & Eccleſiæ coniunctionem ſpiritualem nobis adumbrat ac repræſentat. Hæc.n. tantum eſt inter vnum ſponſum Chriſtum, & vnam ſponſam Eccleſiã: Ergo etiã matrimonium, quod eſt typus illius communionis ſpiritualis, tantum eſt inter vnum maritum & vnam vxorẽ. Quod ſi vero licitum eſſet vni marito mul-

tas

tas vxores ducere, vel vni vxori multis maritis nubere, iam typi illius ratio euaneſceret. 7. Quia aduerſatur Naturæ familiæ, in qua vnus Paterfamilias tanquam caput vnius corporis requiritur, & vna tantum materfamilias: non autem plures ſimul. 8. Quia Polygamia multorum maritorum repugnat fini principali matrimonii, qui eſt procreatio ſobolis: quatenus partim illam impedit, partim incertam reddit. Nemo enim virorum illorum, qui bus eadem vxor comunis eſſet, filios ſuos certo noſſe poſſet. Ceterum contra hanc ſententiam obiici ſolét exempla ſanctorum Patriarcharum in Veteri Teſtamento, qui multas ſimul vxores habuerunt, & tamen Deo grati fuerunt & accepti. 7. 8. *Obiectio.*

Ad quam obiectionem, quæ certe eſt grauiſſima, alii aliás reſponſiones afferunt. Quidam enim dicunt, Patriarchas vnam tantum vxorem legitimam habuiſſe, ceteras vero concubinas eorum fuiſſe. Sed hęc reſpōnſio difficultatē non tollit, cū nondum probatum ſit, concubinatum lege diuinâ eſſe licitū Et propterea huic reclamet exēplum Iacobi Patriarchæ, qui duas veras vxores habuit *Liam* & *Rahel.* Alii dicūt, Polygamiam multarū vxorum in Veteri Teſtamento non fuiſſe prohibitā, ſed tantum in Nouo Teſtamento. Sed obſtāt huic reſpōſioni rationes ſupra pro theſi negante allatę. Alii deniq; dicunt, Polygamiā multarum vxorū ex ſingulari Dei diſpenſatione in Vet. Teſtamēto Patriarchis fuiſſe conceſſā, partim ad multiplicandā gentē illā vnde Meſſias erat naſciturus: partim ad præfigurandum typice res quaſdā ſpiri- *Reſponſio aliorum.* 1. 2. 3.

tuales, quæ in Euangelio ſunt patefactæ. Vndè ad Gal. 4. duæ vxores Abrahæ, nempe Agar & Sara dicuntur præfiguraſſe & ſignificaſſe duos populos Dei, vnum ex Synagoga ſeruâ, alterum ex Eccleſia libera. Sed cum de illa diſpenſatione diuina nihil in Sacris literis expreſsè habeatur; neq; probabile ſit, Deum contra primam matrimonii inſtitutionem, ad quam Chriſtus prouocat, contraque naturam & eſſentiam matrimonii quicquid
4. diſpenſare voluiſſe: Idcircò alii ſtatuunt Deum in Veteri Teſtamento permiſiſſe quidem eiuſmodi Polygamiam, ſed non approbaſſe & conſenſiſſe, & propterea etiam à Chriſto in Nouo Teſtamento plane eſſe abrogatam & prohibitam.

8 *An Matrimonium ſine conſenſu parentum ſit contrahendum?*

Pro theſi negatiua. Ratio. STatuitur theſis negatiuâ. Rationes ſunt. 1.
Quia homo in cõtrahendo matrimonio imitari debet exemplum primorum parentum Ada-
1. mi & Euæ, qui ſine conſenſu Dei conditoris &
2. patris ſui ſocietatem coniugalem non inierunt. 2. Quia præcipua pars honoris, quem ex lege Dei & Naturæ liberi parentibus debent, conſiſtit in ipſorum obedientia. Hæc autem violatur, cum inſciis aut inuitis parentibus matrimonium con-
3. trahunt. 3. Quia bonum alienum non licet vendere inuito aut inſcio poſſeſſore. Ergo cum liberi ſint bonum alienum, nempe parentum; non licitum eſt iis per matrimonialem contractum alteri ſeipſos addicere inſciis aut inuitis parentibus.
4. 4. Quia Deus non eſt auctor & conciliator eius matrimonii, quod citra eius verbum & mandatum

tum initur. Tale autem eſt quod inſciis aut inuitis parentibus contrahitur: ſiquidem expreſsè pugnat cum præcepto Decalogi de honorandis parentibus. 5. Quia Deus Exod. 22. conſenſum maris & fœminę etiam copula carnali confirmatum, non vult eſſe ſufficientem ad contrahendum matrimonium, niſi conſenſus parentum accedat. Imo Num. 30. votum ſibi à liberis nuncupatum non vult ratum habere citra conſenſum parentum. 6. Quia iure ciuili irrita habentur matrimonia, quæ inuitis parentibus contracta fuerunt. 7. Quia plerunq; ſunt infelicia & calamitoſa connubia, quæ inuitis vel deſertis parentibus ineuntur. Ex iis enim oriuntur ſeductiones & raptus liberorum, familiarum ruinæ, euerſiones ciuitatum, turbationes regnorum: imo ſæpe ipſarum perſonarum contrahentium extrema infamia & pernicies. Deus ſiquidem eiuſmodi inobedientiam & contemptum liberorum erga parentes punit, vt alii exemplo ipſorũ à ſimili peccato deterreantur. Vtrum autem conſenſus parentum ad eſſentiam ipſam matrimonii conſtituendam ſimpliciter ſit neceſſarius, ita vt ſine ea, nullum verum matrimonium eſſę & conſiſtere poſſit, id Theologis & Iureconſultis diſceptandum relinquo. Mihi quidem, ſaluo aliorum iudicio, non videtur ſimpliciter & abſolutè neceſſarius; ſed tantum ex hypotheſi partim mandati diuini, partim ciuilis honeſtatis: partim etiam finis, qui eſt terrena felicitas. Per parentes autem intelligendi ſunt non tantum naturales & propriè dicti parentes, ſed etiam omnes ii, qui ſunt loco parentum, cuiuſmodi ſunt tutores: Et illi conſentire exiſtimantur, non

ſolum cum diſertis verbis ſuum conſenſum exprimunt; verum etiam cum non diſſentiunt, nec contrariam voluntatem teſtantur. Qui enim tacet ſine vllà contradictione, is conſentire iudicatur.

9 *An Matrimonium cum quauis perſona licitum ſit contrahere?*

Etſi huius quæſtionis tractatio potius pertinet ad Theologiam & Iuriſprudentiam, quæ circa ius diuinum & ciuile verſantur, tamen ab hoc loco non prorſus alienum videtur, paucis eam attingere. Sciẽdum igitur eſt, matrimonium non licitum eſſe contrahere cum perſonis iis. 1. Quæ ſanguinis propinquitate vltra gradum in lege diuinà conceſſum, nobis ſunt coniunctæ. 2. Quæ citra parentum, aut eorum, qui loco parentum ſunt, conſenſum contrahere volunt. 3. Quæ infideles, Chriſtiq; & Eccleſiæ hoſtes, cuiusmodi ſunt, Iudęi, Turcæ, taleſq; hæretici, qui fundamenta Chriſtianæ religionis conuellunt. 4. Quæ alii fidem coniugii legitime dederunt, aut aliam vxorem, aliumue maritum adhuc viuentem habent. 5. Quæ libero conſenſu nolunt contrahere; ſed iuſſu parentum inuitè & coactè faciunt, quicquid faciunt. 6. Quæ ſunt furioſæ. 7. Quæ ad vſum Matrimonii ſunt ineptæ, vel naturà, vel ex accidenti, nempe propter frigiditatem naturalem, aut exſectionem, aut paralyſin incurabilem, aliumue morbum. 8. Quę morbo contagioſo aut turpi correptæ ſunt: vt eſt lepra ſeu elephantiaſis. 9. Quæ antea à te per adulterium fuit polluta. 10. Quæ concubinam habet. 11. Quæ iniuſtè

iuſtè deſeruit ſuum maritum aut vxorem, aut ſine legitima cauſa vxorem ſuam repudiauit. 12. Quæ ſunt meretrices profanæ, infamesq; mulieres.

10 *An quonis ætatis tempore ſit contrahendum matrimonium?*

DE hac quęſtione diuerſæ ſunt & diſcrepantes hominum prudentum ſententiæ. Alii.n.ſecuti Heſiodum lib 2. operum & dierum, viro annum ætatis trigeſimũ, fœminæ decimũ quintum aptum connubio conſtituunt. Et in illo numero fuerunt etiam Ægypt i & Plato. Illi enim ante annum trigeſimum à viro matrimonium iniri voluerunt. Hic lib. 4. de Legibus vult, vt vxorem quiſq; ab anno trigeſimo ad annum trigeſimum quintum ducat. Si non duxerit damnas ſit, & infamia notetur. Alii Solonem & Ariſtotelem lib.7. Polit. cap 16 ſecuti: viris autem annum ætatis trigeſimum ſextum vel ſeptimum, fœminis decimum octauum aſſignant. Verba Ariſtotelis ſunt: Τὰς μὲν ἁρμόττει περὶ τὴν ὀκτωκαίδεκα ἐτῶν ἡλικίαν συζευγνύναι, τοὺς δὲ ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ἢ μικρόν: hoc eſt, *Illas quidem* (nempe fœminas) *circiter octodecim annorum ætatem conuenit in matrimonium collocare*: *hos vero* (nempe mares) *circa triginta ſex aut circiter*. Alii vero ſecuti Lacedæmonios, annum vigeſimum quintum ætatis, aut etiã octauum maribus aſſignant. Et ſi verò certum ac definitum tempus præciſè neq; maribus, neque fœminis videatur præſcribi poſſe: cum pro ratione diuerſorum ſeculorum, regionum, nationum, alimentorum & temperamentorum, non tantum vitæ quãtitas, ſed etiã corporis conſtitutio diuer-

Diuerſa aliorum opiniones recenſentur.
1.
2.
3.

Sententia vera exponitur & defenditur. ſimodè ſeſe habeat: tamen in eo omnes prudentes conſentiunt, neque in ætate nimis iuuenili & immaturâ, neque nimis adulta & ſenili matrimonium eſſe ineundum: ſed potius tam in mare, quã in fœmina ætatis maturitatem & vigorem ſpectandum eſſe. Rationes pro hac ſententia multæ ab Ariſtotele citato loco afferuntur.

Ratio,

1. 1. Quia quando vir quidem gignere poteſt; fœmina non poteſt: aut fœmina poteſt, vir non poteſt, oriuntur inter coniuges diſcordiæ & diſſenſiones.

2. 2. Quia oportet liberos neque nimis ætate poſteriores eſſe parentibus. Ita enim neque hi vllum beneficii ſui fructum à liberis percipere poſſunt; neque illi à parentibus vlla re iuuari aut ſubleuari: Neque nimis propè ad parentum ætatem accedere. Multa enim in hac re inſunt incommoda. Nam & minor eſt erga tales liberorum reuerentia, tanquam æquales: & ex ætatum propinquitate in adminiſtratione rei familiaris querelæ & criminationes proficiſci ſolent.

3. 3. Quia cum procreationis finis deſtinatus ſit viris quidem ad ſummum annorum ſeptuaginta numerus vltimus; fœminis vero quinquaginta: oportet coniugationis principium ſecundum ætatem in hæc tempora conuenire iis.

4. 4. Quia ὁ τῶν νέων συνδυασμὸς φαῦλος πρὸς τεκνοποιΐαν, hoc eſt, *adoleſcentium coniunctio ad liberorum procreationem mala eſt & inepta.* In cunctis enim animalibus iuueniles partus imperfecti ſunt, & fœminei crebrius, quam maſculi, & paruâ corporis ſtatura. Neq; tantum in iuniorum; ſed etiam in ſeniorum fœtibus, qui imperfecti corporibus & mentibus naſcuntur, ob parentum ſenectutem corporis, & mentis vigorem labefa-

Digitized by Google

labefactantem. Quaproper hoc idem etiam ne- 5.
ceſſario in hominibus euenit. 5.Quia puellæ ado-
leſcẽtulæ & in partu magis laborant, & plures in-
tereunt. 9. Quia ad temperantiam etiam condu-
cit elocare paulo ætate grandiores. Videntur e- 6.
nim eſſe intemperantiores & libidinoſiores eæ,
quæ valdè adoleſcentes rebus venereis vſæ ſunt.
7.Quia maſculorum corporibus nocere videtur 7.
ad incrementum. Si adhuc corpore creſcente re-
bus venereis dent operam. Huius enim tempus
quoddam eſt definitum, extra quod egrediens
non amplius augeſcat. 8. Quia maturo ætatis
tempore (quod ſecundum Ariſtotelem, vt antea 8.
dictum fuit, in maribus eſt annus 37. in fœminis
18.) ineatur coniugium, tunc corroboratis, flo-
rentibusq; & vigentibus corporibus erit oppor-
tunum, & ad procreationis liberorum pauſam ac
requiem tempeſtiuè in eodem vtriſque concur-
ret. 9. Quia ſucceſſio & parentibus & liberis erit
opportuna: iis quidem ineunte ætatis robore ac 9.
vigore; ſi ſtatim pro ratione temporis nati fue-
rint: illis vero ætate iam decrepitâ, & ad annum
ætatis ſeptuageſimum vergente. 10. Quibus ra- 10.
tionibus Ariſtotelis addi etiam poteſt alia à fine
matrimonii ducta, qui non tantum eſt ſobolis
procreatio, ſed etiam ſocialis cohabitatio ac com- 11.
municatio operum quæ ad vitam ſunt neceſſaria,
domusq; gubernatio. Nam vt Ariſtoteles docet
lib.5. Eth. ad Nicomachum cap.12. Maritus & vxor
non iunguntur ſolum ad procreandum vt cetera
animalia, ſed etiam ad cohabitandum, vt ſimul
familiam regens, & officia domeſtica inter ſe par-
tiantur: cùm alia viro, alia vxori munia conueni-

ant. Hic autem finis coniugii obtineri non poteſt, ſi vel vir, vel vxor nimis ſit iuuenis, domusq; benè adminiſtrandæ imperitiâ laboret.

II *An matrimonium ſit contrahendum iis, qui ætate inter ſe plane ſunt impares?*

Sententia negatiua defenditur.

SEnſus quæſtionis eſt, vtrum ſeni ſit ducenda iuuencula; aut vetula iuueni? Ac pro theſi quidem negante faciunt hæ rationes, 1. Quia in
1. coniugio recte ineundo ſpectanda eſt ætatis proportio, ne alter coniugum alterum ætate nimis
2. ſuperet. 2 Quia eiuſmodi imparitas ætatis in matrimonio parit diſcordias & diſſenſiones, ex quibus totius domus perturbatio ſequitur. Hinc Euripides in Phœnice: πικρὸν νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης
3. ἀνήρ. 3. Quia ad ſocietatem & amicitiam coniugalem ineptæ ſunt perſonæ illæ, quæ ætate inter ſe plane ſunt impares. Senectus enim ſua natura non tantum eſt frigida & ſicca, & propterea ad Venerem malè diſpoſita, ſed etiam moroſa, difficilis & intractabilis; Iuuentus vero eſt ſua natura calida & humida, libidinoſa, & ad Venerem, aliaſque cupiditates & vo-
4. luptates corporis prona. 4 Quia ex tali coniugio exiſtunt, adulteria, imperia in maritos, edaces & lethiferi morbi ſenum, zelotypiæ maritorum, ſuſpiciones, aliaque incommoda & mala quamplurima Hinc Theognis:

> Οὔτοι σύμφορόν ἐστι γυνὴ νέα ἀνδρὶ γέροντι,
> Οὐ γὰρ πηδαλίῳ πείθεται, ὡς ἄκατος.
>
> *Non ſanè commoda eſt vxor iuuenis viro ſeni,*
> *Non enim gubernaculo paret inſtar nauis.*

5. Quia Naturę, rectæ rationi & ciuili honeſtati repugnant eiuſmodi connubia. Vnde rectè Ouidius cauit: 5.

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Neque temere vetus illud dictum: ***Senex amator, extremum infortunium.*** 6. Quia liberi in tali coniugio plerunque malè educari ſolent, propter vnius coniugium, iuuenilem laſciuiam & incuriam; alterius verò deliram & effœtam ſenectutem & repentinam mortem. 7. Quia ipſi parentes, præſertim is, qui ætate grandior eſt, à liberis in ſenili ætate genitis, propter corporis & mentis infirmitatem non poteſt expectare & accipere aliquid auxilii & ſolatii. 6. 7.

At in contrariam partem obiici ſolet, ſenioribus magis, quam iunioribus neceſſarium eſſe matrimonium perſonæ iuuenilis & vegetæ: proptereà quod ætas eorum ſit debilis & infirma, maximeq; cura & officio egeat, præſertim in familiæ & rei familiaris gubernatione, à qua ſæpè vel publicis negotiis vel virium infirmitate auocantur. Ideoque in hiſtoria tam ſacra; quam profana exempla paſſim occurere ſenum, qui iuuenculas matrimonio ſibi copularunt, non tam Veneris, quam ſalutis ſuæ cauſa. *Obiectio.*

Sed reſponderi poteſt non ex ſolâ neceſſitate, ſed etiam honeſtate & vtilitate cum priuatâ tum publica matrimonium eſſe metiendum: neque exemplis, ſed rationibus firmis deliberationem de coniugio ineundo eſſe moderandam & muniendam. *Reſponſio.*

Digitized by Google

12. *An virgo potius ſit ducenda, quam vidua?*

Pro theſi affirmatiua Ratio 1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt, 1. Quia natura virginis honeſtæ inſtar ceræ mollis eſt flexilis, & facile moribus mariti conformari poteſt, per aſſuefactionem ſtatim à primo tempore connubii factam. Idcirco à Callicratida Pythagorico, referente Stobęo ſermon. 85. πρωθονύμφωτοι dicuntur εὔπλαστοι καὶ εὐάγωγοι. Et Heſiodus fratri ſuo ſuadet, vt virginē ducat vxorem, quo melius eam ad bonos mores per inſtitutionem flectere poſſit, dum ait:

παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ὥς κ' ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς. Econtra vero vidua inſtar ceræ induratæ eſt intractabilis, ſimiliſq; ollæ, quæ odorem, quo ſemel eſt imbuta, diu retinet. Idcirco etiam, vt Patritius lib. 4. de Rep. tit. 4. ait: *duplex labor eſt ei adhibendus, qui viduam ducit; Prior, vt dedoceat alterius viri mores: alter, vt ſuis aſſuefaciat.* Id quod ſine magna difficultate fieri non poteſt: cum difficilior ſit obliuionis, quam memoriæ, deſueſcendi quam aſſueſcendi ratio.

2. 2. Quia ex diſſimilitudine morum, quos vidua in poſteriore marito per collationem cum moribus prioris deprehendit, oriuntur diſcordię, rixæ, ſimultates, odia & id genus alia mala.

3. 3. Quia amor maior & ſtabilior exiſtit inter cõiuges, quorum alter alteri florem virginitatis decerpendum obtulit.

4. 4. Quia viduæ coniugium prius aut fuit ſterile, aut fœcundum. Si ſterile, metuendum eſt, ne ſimilis ſterilitas in altero coniugio ex vitio vxoris accedat: ſi fæcundum, ſecum in domum mariti poſterioris liberos ſuos afferet, qui inſtar fucorū mella Oeconomica deuorabunt, & ſic magnum detri-

detrimentum domui inferent. 5. Quia raro coniugia cum viduis contracta ſunt fortunata & felicia, ob rationes ſuperius allatas. 5.

Obiectio. Neque obſtat ſi quis obiiciat, viduam eſſe peritiorem & magis verſatam in domo recte gubermanda quam virginem: Ideoque illam potius, quam hanc eſſe ducendam. *Reſponſio.* Nam primum non eſt vniuerſaliter & ſimpliciter verum; quod vidua ſit peritior & magis verſata in domo rectè gubernandâ, quam virgo. Contrarium enim ſępè vſuuenire quotidiana experientia teſtatur. Deinde etiamſi ſimpliciter verum eſſet, nondum tamē ſequeretur propter hanc ſolam cauſam, viduam potius quam virginem eſſe ducendam. Nam virgo ſi ſit ingenioſa & docilis, facile ex vſu & exemplo vel mariti, vel aliarum mulierum, quæ bonæ ſunt domus cuſtodes & adminiſtratrices, peritiā & ſcientiam rectè gubernandi domum ſibi comparari poteſt.

12 *An in matrimonio contrahendo vera religionis & morum ſimilitudo ſit ſpectanda?*

Pro theſi affirmatiua Ratio STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia mandatum Dei eſt, ne cum infidelibus & veræ religionis hoſtibus coniugium ineamus. 1.
2. Quia Deus, qui primus fuit autor coniugii, primusq; pronubus ſeu paranymphus homines non diuerſæ, ſed eiuſdem religionis in Paradiſo coniunxit. Huius igitur exemplum nos decet imitari. 2.
3. Quia poſt gloriam Dei vltimus & primarius coniugii finis eſt collectio & propagatio Eccleſiæ ſanctæ ex genere humano, eiuſdemq; conſerua- 3.

4. tio. 4. Quia coniugium, quod inter fideles in domino contrahitur. Deo gratum eſt & acceptum,
5. quemadmodum contrarium, ingratum. 5. Quia Deus benedicit matrimonio, quod inter fideles initur: ſicut contra maledicit ei, quod cum infideli ſancitur. Et propterea etiam inter alias cauſas, mundum diluuio vniuerſali perdidit,
6. quod pii cum impiis connubia contraxiſſent. 6. Quia religionis diſparitas inter coniuges ſoluit vinculum amoris & concordiæ, ſine quo ſocietas domeſtica ſalua eſſe non poteſt: contra ſemina rixarum & diſſenſionum perpetuarum ſpargit, ex quibus diſciplinæ domeſticæ totiusq; do-
7. mus pernicies oritur. 7. Quia cauendum homini eſt, ne ſeducatur, & à vera pietate ad impietatem, à verâ religione ad ſuperſtitionem & idololatriam abducatur. Id autem propter domeſticam & perpetuam cohabitationem & conſeruationē coniugum facilè fieri poteſt, ſi vnus ſit fidelis, alter infidelis: quemadmodum teſtatur exemplum multorum regum Iſraeliticorum, in primis vero
8. Salomonis, qui omnium fuit ſapientiſſimus. 8. Quia morum ſimilitudo inter coniuges eſt mater amicitiæ & concordiæ ſtabilis. & fons omnium aliorum bonorum domeſticorum, adeoque felicitatis Oeconomicæ. Contra autem diſſimilitudo morum eſt mater inimicitiæ & diſcordiæ, & fons omnium malorum domeſticorum, adeoq;
9. infelicitatis Oeconomicæ. 9. Quia imitanda ſunt exempla ſanctorum Patriarcharum in Veteri Teſtamento, qui neq; ipſi, neq; liberos ſuos voluerunt cum infidelibus & veræ religionis hoſtibus matrimonium contrahere.

At in contrariam partem afferri poſſunt hæc argumenta. 1. Quia Deus ipſe Deut. 21. Iſraelitis conceſſit, vt alienigenas & infideles vxores ducant. 2. Quia matrimonium ob religionis diſparitatem non eſt dirimendum, teſte Paulo 1. Corinth. 7. Ergo neque obſtare debet, quo minus contrahatur. 3. Quia per cohabitationem coniugalem infidelis cum fideli fieri poteſt, vt infidelis ab impietate ad pietatem, à falsâ religione ad veram traducatur. 4. Quia legimus in Veteri Teſtamento, ſanctos quoſdam cum gentibus infidelibus contraxiſſe matrimonium, vt Moſen, Ioſephum & alios. Reſpondeo ad primum argumentum, Deum extraordinariè contra generalem legem conceſſiſſe Iſrae itis, vt vxores alienigenas ducerent, ſed cum talibus conditionibus, quæ eiuſmodi mulieres deformes & contemptibiles redderent, aliosq; ab illarum connubio deterrerent, vt videre eſt in citato loco. Sed hoc extraordinarium exemplum non infringere legem generalem & ordinariam debet. Ad alterum reſpondeo, coniugium quidem ob religionis diſparitatem non eſſe contrahendum, ſed propter hanc cauſam ſi contractum ſit, non eſſe dirimendum. Ad tertium reſpondeo, contingere quidem, vt infidelis per cohabitationem cum fideli religionem mutet? ſed periculum eſſe, ne contrarium accidat. Ideoq; ob ſpem incerti euentus nihil contra mandatum Dei & rectam rationem ſuſcipiendum eſſe. Ad quartum reſpondeo, non ex exemplis iudicandum de facto aliquo, vtrum bonum ſit vel malum, ſed ex eius natura, ac rationibus inde petitis.

Prothesis negatiua argumentum. 1. 2. 3. 4.

Soluuntur argumenta. 1. 2. 3. 4.

14. *An in matrimonio contrahendo generis & familiæ ſit habenda ratio?*

Pro theſi affirmatiua Ratio. 1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt, 1. Quia, vt Plutarchus ait in libro de inſtitutione puerorum: καλὸς παῤῥησίας θησαυρὸς εὐγένεια: hoc eſt, *bonus confidentia theſaurus eſt generis bonitas.* 2. Quia fundamento generis male iacto, neceſſe eſt infelices eſſe liberos, qui inde naſcuntur, teſte Euripide in Hercule furente. 3. Quia *dos magna eſt parentum virtus,* vt rectè canit Horatius lib. 4. Car. ode 24. 4. Quia multum ſplendoris & ornamenti non tantum ipſi matrimonio, ſed etiam toti domui affert familiæ honeſtas & nobilitas. 5. Quia tam virtus, quam vitium naturale generis & familiæ plerunq; ad poſteros propagari ſolet. Hinc ex bonis boni naſci dicuntur: nec è ſquilla roſa aut hyacinthus producitur: nec mali corui ouum bonum eſſe ſolet. 6. Quia in delectu canum & equorum generis habetur ratio: Ergo multò magis in contrahendo matrimonio. Interim tamen cauendum eſt, ne generis claritas & nobilitas nimium inter coniuges ſit inæqualis. Illa enim imparitas ſæpè ſolet eſſe periculoſa & damnoſa: quippe quæ lites, γυναικοκρατίαν, aliaque mala parit: Hinc rectè Ouidius:

Quam male inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam iuuenis magno coniuge nupta minor.
Non honor eſt, ſed onus: ſpecies læſura ferentes,
Si qua voles apte nubere, nube pari.

15 *An in vxore eligendâ forma venuſtas & dotis magnitudo ſit ſpectanda?*

Pro theſi affirm. argum. 1. PRo theſi affirmante faciunt hęc argumenta. 1. Quia formę venuſtas eſt bonum amabile, animoſq;

mosq; hominum in ſui amorem allicit. 2. Quia virtutes animi gratiores & illuſtriores reddit, iuxta illud Poetæ: 2.

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

3. Quia natura fœminis formam pro clypeo & lanceâ conceſſit: non ſecus ac tauris cornua; vngulas equis; leporibus velocitatem; viris prudentiam. 4. Quia deformitas corporis omnibus eſt odioſa, animiq; deformitatem plerunq; indicat: quemadmodum teſtatur exemplum Therſitæ, quem Homerus, vt corpore monſtroſum, ita animo degenerem & ignauum eſſe perhibet Iliad. 2. 5. Quia dotis magnitudo bonum eſt domus ornamentum, adiumentum & ſtabilimentum. 6. Quia indotata vxor minus eſt marito grata & amabilis, quàm dotata. 3.

Pro theſi negante Arg.

At pro theſi negante adduci ſolent hæc argumenta, 1. Quia formę pulcritudo bonum eſt corporis fragile & caducum, quod partim vi morbi facile deflorescit, partim vetuſtate extinguitur. 2. Quia raro cum pudicitia & caſtitate eſt coniuncta. 3. Quia ſeparata à pulchritudine animi plus nocet quam prodeſt. Vnde Diogenes cum quendam videret decora facie, ſed moribus inhoneſtum, rectè ait: O quam bona domus & malus hoſpes. 4. Quia plena ſuperbiæ res eſt formoſa mulier, vt ait Menander. Hinc vere Ouidius. *Faſtus ineſt pluchris, ſequiturq; ſuperbia mentem.* 5. Quia nõ raro pulchritudo formæ cum ipſas fœminas, tum illarum maritos in periculum coniicit. 6. Quia ſępe in deformi corpore animus formoſus & pulcher habitat: quatenus Natura quod in vno denegauit, in altero compenſat. Itaq; felix eſt nigre- 1. 2. 3. 4. 5.

7. do quæ meniis candorem habet. 7. Quia qui in vxore eligenda dotis quantitatem ſpectat, non
8. vxoris dominus; ſed dotis ſeruus fit. 8. Quia digitis vxorem ducit, qui dotem ſponſæ ſupputat, nec explorat qualis in conuictu futura ſit, vt dixit Olympias Philippi Macedonum Regis v-
9. xor. 9. Quia vxorem bonam inuenit, qui nihil quærit niſi bonam, vt Seneca ad Gallionem rectè ſcripſit.

Quæſtio definitur. Pro deciſione quæſtionis obſeruandum eſt, non oculis tantum, neq; digitis; ſed inprimis animo ducendam eſſe vxorem: hoc eſt neque formæ, neq; dotis primam & præcipuam curam in eligenda vxore eſſe habendam; ſed virtutum animi, cuiuſmodi ſunt prudentia, pietas, probitas, caſtitas & id genus aliæ. Et hoc etiam teſtari Diodorum, vt eſt apud Stobæum Serm. 69.

Κρεῖττον γάρ ἐστι τεθραμμένην λαβεῖν
Γυναῖκ' ἄπροικον ἢ κακῶς μετὰ χρημάτων.

Melius enim eſt benè educatam ducere
Uxorem ſine dote, quam malè cum pecuniis.

Interim tamen, ſi cum bonis animi etiam bona corporis & fortunæ ſunt coniūcta, eò optatius & felicius eſſe matrimonium.

16 *An bonum ſit procreare & habere liberos.*

Pro theſi affirmat. Ratio. Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia Deus, qui primus auctor eſt coniugii, iuſſit liberos procreare: cū ad primos noſtros parentes dixit: Creſcite & multiplicamini, & replete
2. terram. 2. Quia naturę & fini coniugii maximè eſt
3. conſentanea procreatio liberorum. 3. Quia parētes

tes in ſuis liberis quaſi renaſcuntur, & continua ipſorum ſucceſſione immortales fiunt, nominiſq ſui memoriam ab obliuione & interitu vindicāt 4. Quia ſine liberorum procreatione, neq; familiæ, neq; reſpublicæ, neq; Ecclesia in hoc mundo conſeruari poteſt, non minus ac ædificium abſq; fundamēto; aut plātę ſine cultura, aut nauis abſq; anchora 5. Quia liberi ſunt pulcherrimus & pretioſiſſimus theſaurus parentum. 6. Quia ſunt maximum ornamentum & decus familiæ totiusq; domus. Vndè rectè dici ſolet: coniugium ſine prole, eſſe mundum ſine ſole. Et Cornelia Gracchorū mater, cum Campana quędā matrona ei oſtēderet monilia, annulos & gemmas ſuas, ſermone eā traxit, donec è Schola liberi redirent, & tunc, hæc, inquit, ornamenta mea ſunt; vt refert Valer. Max. li. 4. c. 4. 7. Quia ſunt arctiſſimū vinculū, & quaſi glutinum amoris coniugalis. 8. Quia nō tantum parentibus ſunt παραστάται τε καὶ γηροβοσκοί, hoc eſt, *auxiliatores ſenectæque nutritores*, omniſque fortunæ ſocii: ſed etiam totius domus cuſtodes, vt docet Hierocles & Ariſtoteles lib. 1. Oecon. 9. Quia ſunt hæredes omnium gratiſſimi bonorum paternorum, & ne ad exteros & peregrinos hæc deuoluātur, impediunt. 10. Quia primum gratitudinis officium, quod liberi parentib. præſtare poſſunt, eſt proli generandę operam dare. Nam vt Hierocles referente Stobæo, ſerm. 72, ait: καλὸν, πάππος ὑπὸ ὀφθῆναι ἐκγόνων χειραγωγούμενός τε καὶ τῆς ἄλλης ἐπιμελείας ἀξιούμενος, hoc eſt, *res præclara eſt, auum deduci nepotum ſuorum manibus, omnique cura & obſequio ab ipſis affici.* 11. Quia Reip vtiliſſimum eſt, ſi ciuium familiæ augeantur: contra verò

4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

maximè damnoſum, ſi minuantur. Prius autem obtinetur per πολυπαιδίαν; poſterius per ἀπαιδίαν ἢ ὀλιγοπαιδίαν. Idcircò etiam olim Legiſlatores, teſte Muſonio, præmia conſtituerant πολυπαιδίας; Pœnam verò ἀπαιδίας Et apud Spartanos liberi erant ab excubiis, qui tres habebant filios; immunes verò ab omnibus publicis officiis, qui quinq;. Rectè igitur dictum eſt: τίμιος ἐν πόλει πολύπαις ἀνήρ, hoc eſt, *honorandus in ciuitate eſt vir multos liberos*
12. *habens*. 12. Quia nihil ſuauius & iucundius eſſe poteſt, quam videre liberos probos nō tantum corporis formâ & figura: ſed maximè animi & morum ſimilitudine parentes reuerentes. 13. Quia, vt Menander ait:

> Ὀδυνηρόν ἐστιν εὐτυχοῦντα τοῦ βίου
> Ἔχειν ἔρημον διαδόχου τὴν οἰκίαν.
> *Dolorifica res ſi quis homo diues*
> *Nullum habet domi ſua ſucceſſorem.*

Obiectio. At in contrariam partem obiici poſſunt hæc argumenta. 1. Quod liberi multas & graues curas parentibus pariūt. 2. Quod incertum eſt patri, an liberi, quos ſuos eſſe putat, reuera ſint ſui. 3. Quod liberi mali extrema ſunt parentum calamitas. Reſpondeo tria illa argumenta quidem ſimpliciter negari non poſſe: ſed ex iis falſitatem theſis affirmantis probari non poſſe: tum quia χαλεπὰ τὰ καλά, ſecundum cōmune prouerbium: tum quia acerba tandem dulceſcunt: tum quia plura bona liberi per ſe ſecum afferunt parentibus, quam mala: tum deniq;, quia ea quæ per accidens oriuntur mala ex liberorum procreatione, non ſunt ei per ſe aſcribenda.

(margin: 1., 2., 3., Reſponſio.)

17 An

Digitized by Google

QVÆSTIO. 17.

17 *An liberi maſculi ſint præferendi fœminis, & legitimi ſpuriis?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia liberi maſculi naturâ & ſexu ſunt perfectiores fœminis. 2. Quia illi genus & familiam propagant & conſeruant: hi vero non. Vndè rectè Euripides in Iphigeniâ: *Pro theſi affirmatiua Ratio. 1. 2.*

Στύλοι γὰρ οἴκων παῖδές εἰσιν ἄρσενες.

Columnæ enim domorum ſunt maſculi liberi.

3. Quia filiæ, præſertim nubiles, ſunt laborioſa, ſumptuoſa & periculoſa poſſeſſio parentum. 4. Quia magna pars felicitatis domeſticæ eſt habere filios, qui nomen parentum ab obliuione, & ædes paternas ab aliena poſſeſſione vindicent. 5. Quia legitimi liberi ſunt honeſti & ingenui naturaleſque bonorum paternorum hæredes, quippe qui ex honeſto coitu ſunt prognati. Spurii autem non item. 6. Quia ſpurii, præſertim illi, qui ex adulterio aut damnato coitu naſcuntur, plerunq; ſunt mali, inquieti & turbulenti, exitumq; habent tragicum nec poſteritas eorum eſt diuturna, vt multis exemplis probat Richterus axiomate Oeconomico 20. 7. Quia ſpurii in Republica ab omnibus honoribus & dignitatibus publicis excludi ſolent: legitimi autem non. *3. 4. 5. 6. 7.*

18 *An liberi ſemper ſimiles parentibus naſcantur?*

ETſi plerunq; Naturæ bonitas, ſeminaq; quædam virtutum à parentibus in liberos transfundi & propagari ſolent, iuxta illud Horatii lib. 4. Carminum Ode 4. *Sententia Negatiua defenditur.*

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis, patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Tamen non rarò ſolet accidere, vt liberi à natura & moribus parentum degenerent quemadmodū multis exemplis probat Richterus axion. Oecon. 25. Et hoc teſtatur Homerus Odyſs. 2.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται
Οἱ πλείονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.
Pauci enim ſane filii ſimiles patri ſunt
Pleriq; peiores, pauci vero parentibus meliores.

Idem teſtatur Ioſephus lib. 6. antiquitat. c. 3. Non ſemper patribus ſimiles naſcuntur filii, ſed interdum ex malis boni, & contra è bonis mali. Atque hęc calamitas magnis & præclaris viris ita frequēter ſolet accidere, vt inde adagium illud ortum ſit vulgo iactatum: Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα, *Heroum filii noxa.* Vnde etiam Demoſthenes inquit: τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἱμαρμένη ἐστὶ, φαύλους ἀποβαίνειν τοὺς υἱούς. *Bonorum virorum quaſi fatum eſt malos euadere filios.*

Diuerſæ opiniones recenſentur de cauſis cur filii parentib. diſſimiles euadant. 1. 2.

Quod ſi quæras de cauſis huius diſſimilitudinis, illarum diuerſæ à diuerſis afferri ſolent. Alii enim cauſam referunt ad diuerſum ſtellarum poſitum, ob quem corpora inferiora & ſublunaria variis modis alterari & mutari ſolent. Alii ad peccata parentum ſiue notoria, ſiue occulta, quorum pœnas ſæpe liberi luere coguntur, quēadmodum Deus minatur in decalogi pręcepto. 2. Vnde prouerbium apud Germanos ortū: Was der Vatter borget/ das muß gemeinlich der Sohn bezahlen. Alii ad voluntatem Dei, per quam non vult vt ſua dona alligata ſint ad ſucceſſiones fa-

miliarum

Digitized by Google

miliarum & propagationem carnalem . ne ho-
mines putét Stoicâ neceſſitate id fieri,atq; ita De-
um donorum illorum auctorem non faciant, eũ-
que contemnant , & ad cauſas ſecundas alligent:
ſed potius per illam mutationem ad modeſtiam
& timorem Dei excitentur. Alii ad naturã ipſam, 4
quæ in hac mundi ſenecta fit languidior , & pau-
latim in peius ruit. Quo pertinet illud Ho-
ratii :

Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Alii ad prauam educationem & inſtitutionem li- 5
berorum. Sepe enim viri magni publicorum ne-
gotiorum mole onerati debitam curã educatio-
nis & inſtitutionis nõ habent. Hinc fit vt negligẽ-
tia illa incuria,& indulgentia parentum liberi de-
generent & petulantes euadant. Alii ad nimium 6
amorem parẽtum erga liberos,qui facit,vt ob ni-
miam indulgentiam , qua ad liberorum peccata
conniuent, verè & vtiliter liberi ab iis non amẽ-
tur,ideq; iis accidat,quod ſimiis,quæ cum fœtum
nimis oſculantur& complectuntur,ſimul enecãt,
vt Plinius narrat lib.8.cap.54. Alii cauſam refe- 7
runt ad diuerſam parentum tempore coitus diſ-
poſitionẽ. Quando enim illi tempore coitus co-
gitationes ſuas ad obiecta non bona dirigunt, aut
etiã ebrii ſunt, facilè fieri poteſt, vt aliquis vitii
fomes in ſobolem vnà cum ſemine deriuetur. Id-
circo Diogenes cum videret adoleſcentẽ fatuum
& deſipientem, Adoleſcens,inquit,pater te ebri-
us ſeminauit, Alii ab Nutricum mores , quibus 8
liberi tenelli à matribus lactandi committun-

tur. Illæ enim cum plerunq; ſint laſciuę & improbæ, infantibus per lactis alimoniam, morum improbitatem & petulantiam quaſi inſtillant & infundunt. Idcirco Cicero in educatione futuri Oratoris iubet præcipuas adhiberi mulieres, non ignarus per lac naturam ex alia in aliam poſſe trãſire. Et Gellius refert quendam lactatum lacte caprino, cum adoleuiſſet, more caprarum ſolitum
9. fuiſſe ſaltare. Alii deniq; culpam imputant Diabolo, qui maximè infenſus eſt viris de Eccleſiâ & Republicâ optimè meritis, & ex odii illius impulſu, plus illorum liberis, quam aliorum inſidiatur.

Et ſi verò nulla ex cauſis iam enumeratis ſit, cui diſſimilitudo liberorum aliqua ex parte non poſſit aſcribi: tamen inter cauſas ſecundas, qninta, ſexta, ſeptima & octaua ſunt propinquiores.

19 *An ſocietas herilis Naturæ ſit conſentanea?*

Pro theſi affirmatiua Ratio.

PRo theſi affirmante valent hæc argumenta. 1. Quia omnis ſocietas domeſtica, quæ ad familiam rectè conſtituendam requiritur, Naturæ eſt
1. conſentanea. Ergo etiam ſocietas herilis. 2. Quia
2. Naturæ conueniens eſt, vt illi, qui neq; ſibi neq; aliis benè conſulere & præeſſe poſſunt, aliorum
3. imperio & dominio ſint ſubiecti. 3. Quia ſocietas herilis neceſſaria eſt & vtilis ad domum benè inſtituendam & adminiſtrandam. Et, vt Hierocles ait referente Stobæo ſerm. 65. μήτε τὸ ἄρχον αὐτὸ τοῦ ἀρχομένου δύναται βοηθῆσαι, μήτ' αὖ δὲ τοῦ ἄρχοντος τὸ ἀρχόμενον. Quod autem ita eſt comparatum, à Natura non
4. eſt alienum. 4. Quia Deus ipſe ſuo verbo ſocietatem herilem approbat, dum officia tam heris, quam ſeruis præſtanda præcipit & præſcribit. Quod

Quod autem Deus approbat, id Naturæ eſt conſentaneum. 5. Quia ſocietas herilis eſt imago ſocietatis ciuilis, quæ eſt inter magiſtratum & ſubditos. Hæc autem Naturæ eſt conſentanea. Ergo & illa. 6. Quia etiamſi homo in paradiſo non eſſet lapſus; tamen opus habuiſſet ſocietate herili. Nō enim Adamus ſine adminiculo ſeruorum, domum præſertim rem familiarem commodè adminiſtrare potuiſſet. 5.

At pro theſi negante adduci poſſunt hæc argumenta. 1. Quia homo ad imaginem Dei eſt creatus, eamq; in omnes ſuos poſteros propagaſſet, ſi non fuiſſet lapſus, & in ſtatu innocentiæ manſiſſet. Omnis igitur homo naturâ fuiſſet liber & dominus, & nullus alteri, tanquam ſeruus ſubiectus. Idcirco etiam Deus non hominem homini, ſed hominem pecori dominari iuſſit. Imago ſiquidem Dei in dominio, non in ſeruitute conſiſtebat. Ex quo ſequitur ſeruitutem, & per conſequens ſocietatem herilem naturæ eſſe contrariā. *Pro theſi negatiua argumenta.* 1.

2. Quia ſeruitus eſt ſtatus hominis, qui eum dominio alieno contra naturam ſubiicit, ſeu vt lib. 1. Inſtit. definitur, eſt conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur. 2.

3. Quia ſeruitus iuri naturali eſt contraria, quatenus per id omnes homines ab initio liberi naſcebantur. 3.

4. Quia vis ſeu violentia eſt cauſa efficiens ſeruitutis. Poſteaquam enim bella ſunt oborta, ſecutæ ſtatim ſunt ſeruitutes & captiuitates iuris & libertati naturali contrariæ. 4.

5. Quia ſeruitus Rebuſpubl. Chriſtianis eſt noxia: cum impium & iniquum ſit, pretioſiſſimam Dei creaturam tam diræ ſeruituti addicere. 5.

Quæſtio deciditur per diſtinction. Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt inter ſeruitutem legitimam & illegitimam, iuſtã & iniuſtam. Prior eſt, cui homo ſubiicitur vel ex lege rectè condita, vel ex libero pacto, vel ex alia iuſta cauſa. Poſterior eſt, cui homo ſubiicitur, vel ex lege perperam condita, vel ex violenta ſine iuſta cauſa; & quidẽ ita, vt dominus vitæ & necis in eum ius habeat. Illa Naturæ eſt conſentanea; quẽadmodum etiam ſocietas domeſtica, quæ eſt inter tales ſeruos & herum. Et de ea theſis affirmatiua eſt intelligenda. Hæc verò Naturæ eſt contraria.

Soluuntur argumenta pro theſi negãtiua allata. Quod igitur ad argumenta attinet pro theſi negante allata. In primo concedo quidem omnem hominẽ ex naturæ primæuæ conditione eſſe liberum, & nulli tanquã ſeruum addictum: interim
1. tamẽ dico ex libero pacto aut alia iuſta & legitima cauſa poſſe ſubiici aliquem ſeruituti, ita vt cõtra naturam nihil agat. Ac licet Deus hominẽ pecori dominari iuſſerit: inde tamen non ſequitur quod Deus prohibuerit hominem homini etiam ante lapſum dominari. Nec ſeruitutẽ, qua homo alteri homini ſponte ſeſe obligat ad præſtãda miniſteria ſeu ſeruitia pugnare cum imagine Dei, ad quam homo eſt conditus: cum illa ab ipſo Deo, Gen. 1. v. 26. videatur poni in dominio, quod homo in beſtias exercet. Ad reliqua argumenta reſpondeo illa eſſe vera de ſeruitute illegitima & iniuſta: non autem de legitima & iuſta, cum violentia, quæ dicitur cauſa efficiens ſeruitutis ex iuſta cauſa proceſſerit.

Sententia neg. defenditur.

20 *An omnes ſerui ſint eiuſdem generis?*

STatuitur theſis negatiua. Nam primo ſerui alii ſunt priuati ſeu domeſtici: alii publici: quorum

illi ſeruiles operas præſtant in vſum domus: hi in vſumReipublicæ. 2. ſerui domeſtici ſecundum Ariſtotelem libr. 1. Oecon. cap. 5. alii ſunt ἐπίτροποι, procuratores, alii ἐργάται operarii: quorum illi curã rei familiaris & operariorum habent, & ſunt ἐργοδιῶκται ſeu directores operis: hi verò miniſteria ſeruilia operando exequuntur. 3. Serui ſecundum Ariſtotelem lib. 1. Polit. cap. 5. & 6. alii ſunt naturâ ſerui, alii lege, quorum illi ſunt nati ad ſeruiẽdum aliis: hi verò facti. Vnde etiam ſeruitus alia dicitur naturalis, alia legalis. 4. Bodinus lib. 1. de Republica cap. 5. quinq; genera ſeruorum conſtituit: vnum eorum, qui natura ſerui dicuntur ex ancillâ concepti: alterum eorum qui capti ſunt ab hoſtibus, qui antiquo iure belli ſerui fiebant: tertium eorum, qui ad opera publica damnati fuerunt, qui ſerui pœnæ appellabantur: quartum eorum, qui ſeipſos in ſeruitutem ſpõte dediderunt, ac potiſſimum ii, qui ſuę libertatis pretium acceperunt: extremum eorum, qui à piratis aut latronibus vẽditi bonâ fide ab emptoribus poſſidentur. 5. Piccolomineus gradu 10. ciuilis Philoſophię c. 6. ſeruos alios eſſe docet natura, alios moribus, alios fortuna, alios pacto. Notandum autem, quoſdam inueniri, qui inter famulum & ſeruum diſtinguunt, tanquam inter genus & ſpeciem Famulum enim vocant, qui hero ſuo famulatur, ſiue ſit libera perſona, eaq; conducta mercede, ſiue non, ſiue ſit non libera. Seruum verò proprie dicunt eſſe hominem non liberum, ſiue ſponte talis ſit, ſiue non. Sed quia hoc diſcrimen in communi loquendi vſu non obſeruatur, non magni momenti eſſe videtur.

21 *An quidam homines ſint naturâ domini, quidam ſerui?*

Pro theſi affirmante argumenta.

SEntentiam affirmantem defendit Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 5. Argumenta ipſius præcipua
1. ſunt. 1. Quia Natura non eaſdem animi vires omnibus hominibus attribuit: ſed aliis quidem concedit naturalem ingenii ſagacitatem & dexteritatem, per quam apti ſunt non ſolum ſibi ipſis, ſed etiam aliis bene conſulere & præeſſe: alios vero tam hebeti & imbecillo ingenio generat, vt neq; ſeipſos, neq; alios regere poſſint: ſed opus habent, vt ab aliis regantur, iisq; ſubiiciantur.
2. 2. Quia Natura quibuſdam tribuit corpora apta ad dominandum, cuiuſmodi ſunt formoſa, procera, tenera, mollia, & imbecillia, ad labores perferendos minus apta: quibuſdam verò ad ſeruitutem, cuiuſmodi ſunt corpora deformia, robuſta, craſſa, dura, calloſa, & quaſi compacta laboribus perferendis, & oneribus geſtandis aptiſſima. Ergo cum Natura nihil fruſtrà & temerè agat, ſequitur quoſdam homines naturâ eſſe dominos,
3. quoſdā ſeruos. 3. Quia corpus naturâ ſubiectum eſt imperio animæ. Ergo etiam quidam homo naturâ ſubiectus dominio alterius hominis, præſertim ſi illo ſit deterior, his melior, & illi melius ſit,
4. vt regatur, quam vt regat. His rationibus addi poteſt quarta, quod quidam homines naſcuntur ex matre liberâ, quidam ex matre ſeruâ. Ergo cum partus ſequatur ventrem, ſequitur alios naturâ eſſe liberos, alios ſeruos.

Pro theſi negante argumenta.

At pro theſi negante afferuntur hæc argumē-
1. ta. 1. Quia omnes homines naturâ ſunt obligati ad ſeruiendum Deo, ab eodemq; dominium in

reliquas

reliquas creaturas terrenas in primâ creatióne ac- 2.
ceperunt. 2 Quia natura omnès homines produ-
cit aptos ad imperandum & parendum: tametſi
non omnes ob duerſam conſtitutionem & ἰδιο-
κρασίαν ſui corporis, diuerſamq; educationem &
inſtitutionem æqualiter ſint apti, ſed alii magis, a-
lii minus. Vnde recte dici ſolet in communi pro-
uerbio: οὐκ ἐστὶν εὖ ἄρξειν, μὴ ἀρχθέντα Non poteſt benè
imperare, qui prius imperio non paruerit, vt cita-
tur ab Ariſtotele lib. 3. Polit. In quam ſententiam
etiam Plato lib. 6. de legibus inquit: ὁ μὴ δουλεύσας οὐδ'
ἂν δεσπότης γένοιτο ἄξιος ἐπαίνου. *Qui nunquam fuit ſer-
uus, non poteſt fieri dominus laude dignus*, ſiue, vt alii 3.
efferunt: *Nemo rectè dominum agere poteſt, qui non
antea miniſtrum egerit.* 3. Quia ſi quidam homines
naturâ eſſent domini, quidam ſerui: ſequeretur
Naturam non æquam omnium hominum eſſe
matrem, ſed quorundam nouercam. Quod tamē
eſt abſurdum.

Pro deciſione quæſtionis propoſitæ obſeruan- *Quæſtio deciditur per theoremata.*
da ſunt aliquot theoremata. 1. Omnem hominem
reſpectu Dei ſuâ naturâ eſſe ſeruum; reſpectu plā- 1.
tarum, beſtiarum ſuâ naturâ eſſe dominum. 2. O- 2.
mnem hominem reſpectu aliorum hominum ex
generali Naturæ humanæ conditione aptum eſſe
imperare & parere, præeſſe & ſubiici: ex ſpeciali
vero naturæ ſuæ proprietate alium magis, alium
minus ſiue ad dominandum, ſiue ad ſeruiendum
eſſe idoneum. Sed indè non ſequi alios naturâ
eſſe dominos, alios ſeruos. 3. Omnem ſeruitutem, 3.
qua vnus homo alteri eſt obligatus eſſe aut iuſtam
aut iniuſtam: ac priorem quidem Naturæ eſſe 4.
conſentaneam; poſteriorem non. 4. Neminem

Digitized by Google

maximè damnoſum, ſi minuantur. Prius autem obtinetur per πολυπαιδίαν; poſterius per ἀπαιδίαν ἢ ὀλιγοπαιδίαν. Idcircò etiam olim Legislatores, teſte Muſonio, præmia conſtituerant πολυπαιδίας; Pœnam verò ἀπαιδίας Et apud Spartanos liberi erant ab excubiis, qui tres habebant filios; immunes verò ab omnibus publicis officiis, qui quinq;. Rectè igitur dictum eſt: ἔντιμος ἐν πόλει πολύπαις ἀνήρ, hoc eſt, *honorandus in ciuitate eſt vir multos liberos habens.*

12. 12. Quia nihil ſuauius & iucundius eſſe poteſt, quam videre liberos probos nō tantum corporis formâ & figura: ſed maximè animi & morum ſimilitudine parentes reuerentes. 13. Quia, vt Menander ait:

Ὀδυνηρόν ἐστιν εὐτυχοῦντα τοῦ βίου
Ἔχειν ἔρημον διαδόχου τὴν οἰκίαν.
Dolorifica res ſi quis homo diues
Nullum habet domi ſuæ ſucceſſorem.

Obiectio. At in contrariam partem obiici poſſunt hæc argumenta.
1. 1. Quod liberi multas & graues curas parentibus pariūt.
2. 2. Quod incertum eſt patri, an liberi, quos ſuos eſſe putat, reuera ſint ſui.
3. 3. Quod liberi mali extrema ſunt parentum calamitas.

Reſponſio. Reſpondeo tria illa argumenta quidem ſimpliciter negari non poſſe: ſed ex iis falſitatem theſis affirmantis probari non poſſe: tum quia χαλεπὰ τὰ καλά, ſecundum cōmune prouerbium: tum quia acerba tandem dulceſcunt: tum quia plura bona liberi per ſe ſecum afferunt parentibus, quam mala: tum deniq;, quia ea quæ per accidens oriuntur mala ex liberorum procreatione, non ſunt ei per ſe aſcribenda.

17. *An*

QVÆSTIO. 17.

17 *An liberi maſculi ſint præferendi fœminis, & legitimi ſpuriis?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. *Pro theſi affirmatiua Ratio.*
Quia liberi maſculi naturâ & ſexu ſunt perfe-
ctiores fœminis. 2. Quia illi genus & familiam 1.
propagant & conſeruant:hi vero non. Vndè rectè 2.
Euripides in Iphigeniâ:

Στύλοι γὰρ οἴκων παῖδές εἰσιν ἄῤῥενες.

Columnæ exim domorum ſunt maſculi liberi.

3. Quia filiæ, præſertim nubiles,ſunt laborioſa, 3.
ſumptuoſa & periculoſa poſſeſſio parentum. 4. 4.
Quia magna pars felicitatis domeſticæ eſt habere filios,qui nomen parentum ab obliuione & ædes
paternas ab aliena poſſeſſione vindicent. 5. Quia 5.
legitimi liberi ſunt honeſti & ingenui naturalesque bonorum paternorum hæredes, quippe qui ex honeſto coitu ſunt prognati.Spurii autem non
item. 6. Quia ſpurii,præſertim illi, qui ex adulte- 6.
rio aut damnato coitu naſcuntur , plerumq; ſunt mali,inquieti & turbulenti, exitumq; habent tragicum nec poſteritas eorum eſt diuturna,vt multis exemplis probat Richterus axiomate Oeconomico 20. 7.Quia ſpurii in Republica ab omnibus 7.
honoribus & dignitatibus publicis excludi ſolent: legitimi autem non.

18 *An liberi ſemper ſimiles parentibus naſcantur?*

ETſi plerunq; Naturæ bonitas, ſeminaq; quædam virtutum à parentibus in liberos transfundi & propagari ſolent,iuxta illud Horatii lib. 4. Carminum Ode 4. *Sententia Negatiua defenditur.*

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis, patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Tamen non rarò ſolet accidere, vt liberi à natura &moribus parentum degenerent quemadmodū multis exemplis probat Richterus axion. Oecon. 25. Et hoc teſtatur Homerus Odyſs. 2.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται
Οἱ πλείονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.
Pauci enim ſane filii ſimiles patri ſunt
Pleriq; peiores pauci vero parentibus meliores.

Idem teſtatur Ioſephus lib. 6. antiquitat. c. 3. Non ſemper patribus ſimiles naſcuntur filii, ſed interdum ex malis boni, & contra è bonis mali. Atque hęc calamitas magnis & præclaris viris ita frequēter ſolet accidere, vt inde adagium illud ortum ſit vulgo iactatum: Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα, *Heroum filii noxa.* Vnde etiam Demoſthenes inquit: τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἱμαρμένη ἐστὶ, φαύλους ἀποβαίνειν τοὺς υἱούς. *Bonorum virorum quaſi fatum eſt malos euadere filios.*

Diuerſæ opiniones recenſentur de cauſis cur filii parentib. diſſimiles euadant.

Quod ſi quæras de cauſis huius diſſimilitudinis, illarum diuerſæ à diuerſis afferri ſolent. 1. Alii enim cauſam referunt ad diuerſum ſtellarum poſitum, ob quem corpora inferiora & ſublunaria variis modis alterari & mutari ſolent. Alii 2. ad peccata parentum ſiue notoria, ſiue occulta, quorum pœnas ſæpe liberi luere coguntur, quēadmodum Deus minatur in decalogi pręcepto. 2. Vnde prouerbium apud Germanos ortū: Was der Vatter borget/ das muſs gemeinlich der Sohn bezahlen. Alii ad voluntatem Dei, per quam non vult vt ſua dona alligata ſint ad ſucceſſiones familiarum

miliarum & propagationem carnalem. ne homines putẽt Stoicâ neceſſitate id fieri, atq; ita Deum donorum illorum auctorem non faciant, eũque contemnant, & ad cauſas ſecundas alligent? ſed potius per illam mutationem ad modeſtiam & timorem Dei excitentur. Alii ad naturã ipſam, 4
quæ in hac mundi ſenecta ſit languidior, & paulatim in peius ruit. Quo pertinet illud Horatii:

Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Alii ad prauam educationem & inſtitutionem liberorum. 5.
Sepe enim viri magni publicorum negotiorum mole onerati debitam curã educationis & inſtitutionis nõ habent. Hinc fit vt negligẽtia illa incuria, & indulgentia parentum liberi degenerent & petulantes euadant. Alii ad nimium 6.
amorem parẽtum erga liberos, qui facit, vt ob nimiam indulgentiam, qua ad liberorum peccata conniuent, verè & vtiliter liberi ab iis non amẽtur, ideq; iis accidat, quod ſimiis, quæ cum fœtum nimis oſculantur & complectuntur, ſimul enecãt, vt Plinius narrat lib. 8. cap. 54. Alii cauſam refe- 7.
runt ad diuerſam parentum tempore coitus diſpoſitionẽ. Quando enim illi tempore coitus cogitationes ſuas ad obiecta non bona dirigunt, aut etiã ebrii ſunt, facilè fieri poteſt, vt aliquis vitii fomes in ſobolem vnà cum ſemine deriuetur. Idcirco Diogenes cum videret adoleſcentẽ fatuum & deſipientem, Adoleſcens, inquit, pater te ebrius ſeminauit, Alii ab Nutricum mores, quibus 8.
liberi tenelli à matribus lactandi committun-

tur. Illæ enim cum plerunq; ſint laſciuę & improbæ, infantibus per lactis alimoniam, morum improbitatem & petulantiam quaſi inſtillant & infundunt. Idcirco Cicero in educatione futuri Oratoris iubet præcipuas adhiberi mulieres, non ignarus per lac naturam ex alia in aliam poſſe träſire. Et Gellius refert quendam lactatum lacte caprino, cum adoleuiſſet, more capratum ſolitum
9. fuiſſe ſaltare. Alii deniq; culpam imputant Diabolo, qui maximè infenſus eſt viris de Eccleſiâ & Republicâ optimè meritis, & ex odii illius impulſu, plus illorum liberis, quam aliorum inſidiatur.

Et ſi verò nulla ex cauſis iam enumeratis ſit, cui diſſimilitudo liberorum aliqua ex parte non poſſit aſcribi: tamen inter cauſas ſecundas, qninta, ſexta, ſeptima & octaua ſunt propinquiores.

19 *An ſocietas herilis Naturæ ſit conſentanea?*

Pro theſi affirmatiua Ratio.

PRo theſi affirmante valent hæc argumenta. 1. Quia omnis ſocietas domeſtica, quæ ad fami-
1. liam rectè conſtituendam requiritur, Naturæ eſt
2. conſentanea. Ergo etiam ſocietas herilis. 2. Quia Naturæ conueniens eſt, vt illi, qui neq; ſibi neq; aliis benè conſulere & præeſſe poſſunt, aliorum
3. imperio & dominio ſint ſubiecti. 3. Quia ſocietas herilis neceſſaria eſt & vtilis ad domum benè inſtituendam & adminiſtrandam. Et, vt Hierocles ait referente Stobæo ſerm. 65. *μήτε τὸ ἄρχον αὖ δίχα τοῦ ἀρχομένου δύναται νοηθῆναι, μήτ' αὖ δίχα τοῦ ἄρχοντος τὸ ἀρχόμενον.* Quod autem ita eſt comparatum, à Natura non
4. eſt alienum. 4. Quia Deus ipſe ſuo verbo ſocietatem herilem approbat, dum officia tam heris, quam ſeruis præſtanda præcipit & præſcribit.

Quod

Quod autem Deus approbat, id Naturæ eſt conſentaneum. 5. Quia ſocietas herilis eſt imago ſocietatis ciuilis, quæ eſt inter magiſtratum & ſubditos. Hæc autem Naturæ eſt conſentanea. Ergo & illa. 6. Quia etiamſi homo in paradiſo non eſſet lapſus; tamen opus habuiſſet ſocietate herili. Nō enim Adamus ſine adminiculo ſeruorum, domum præſertim rem familiarem commodè adminiſtrare potuiſſet. 5.

At pro theſi negante adduci poſſunt hæc argumenta. 1. Quia homo ad imaginem Dei eſt creatus, eamq; in omnes ſuos poſteros propagaſſet, ſi non fuiſſet lapſus, & in ſtatu innocentiæ manſiſſet. Omnis igitur homo naturâ fuiſſet liber & dominus, & nullus alteri, tanquam ſeruus ſubiectus. Idcirco etiam Deus non hominem homini, ſed hominem pecori dominari iuſſit. Imago ſiquidem Dei in dominio, non in ſeruitute conſiſtebat. Ex quo ſequitur ſeruitutem, & per conſequens ſocietatem herilem naturæ eſſe contrariā. *Pro theſi negatiua argumenta.* 1.

2. Quia ſeruitus eſt ſtatus hominis, qui eum dominio alieno contra naturam ſubiicit, ſeu vt lib. 1. Inſtit. definitur, eſt conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur. 2.

3. Quia ſeruitus iuri naturali eſt contraria, quatenus per id omnes homines ab initio liberi naſcebantur. 3.

4. Quia vis ſeu violentia eſt cauſa efficiens ſeruitutis. Poſteaquam enim bella ſunt oborta, ſecutæ ſtatim ſunt ſeruitutes & captiuitates iuris & libertati naturali contrariæ. 4.

5. Quia ſeruitūs Rebuſpubl. Chriſtianis eſt noxia: cum impium & iniquum ſit, pretioſiſſimam Dei creaturam tam diræ ſeruituti addicere. 5.

Digitized by Google

Quæſtio deciditur per diſtinction. Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt inter ſeruitutem legitimam & illegitimam, iuſtã & iniuſtam. Prior eſt, cui homo ſubiicitur vel ex lege rectè condita, vel ex libero pacto, vel ex alia iuſta cauſa. Poſterior eſt, cui homo ſubiicitur, vel ex lege perperam condita, vel ex violenta ſine iuſta cauſa; & quidẽ ita, vt dominus vitæ & necis in eum ius habeat. Illa Naturæ eſt conſentanea; quẽadmodum etiam ſocietas domeſtica, quæ eſt inter tales ſeruos & herum. Et de ea theſis affirmatiua eſt intelligenda. Hæc verò Naturæ eſt contraria.

Soluuntur argumenta pro theſi negatiua allata. Quod igitur ad argumenta attinet pro theſi negante allata. In primo concedo quidem omnem hominẽ ex naturæ primæuæ conditione eſſe liberum, & nulli tanquã ſeruum addictum: interim

1\. tamẽ dico ex libero pacto aut alia iuſta & legitima cauſa poſſe ſubiici aliquem ſeruituti, ita vt cõtra naturam nihil agat. Ac licet Deus hominẽ pecori dominari iuſſerit: inde tamem non ſequitur quod Deus prohibuerit hominem homini etiam ante lapſum dominari. Nec ſeruitutẽ, qua homo alteri homini ſponte ſeſe obligat ad præſtãda miniſteria ſeu ſeruitia pugnare cum imagine Dei, ad quam homo eſt conditus: cum illa ab ipſo Deo, Gen. 1. v. 26. videatur poni in dominio, quod homo in beſtias exercet. Ad reliqua argumenta reſpondeo illa eſſe vera de ſeruitute illegitima & iniuſta: non autem de legitima & iuſta, cum violentia, quæ dicitur cauſa efficiens ſeruitutis ex iuſta cauſa proceſſerit.

Sententia nostra defenditur.

20 *An omnes ſerui ſint eiuſdem generis?*

STatuitur theſis negatiua. Nam primo ſerui alii ſunt priuati ſeu domeſtici: alii publici: quorum

illi ſeruiles operas præſtant in vſum domus: hi in vſum Reipublicæ. 2. ſerui domeſtici ſecundum Ariſtotelem libr. 1. Oecon. cap. 5. alii ſunt ἐπίτροποι, procuratores, alii ἐργάται operarii: quorum illi curã rei familiaris & operariorum habent, & ſunt ἐργοδιῶκται ſeu directores operis: hi verò miniſteria ſeruilia operando exequuntur. 3. Serui ſecundum Ariſtotelem lib. 1. Polit. cap. 5. & 6. alii ſunt naturâ ſerui, alii lege, quorum illi ſunt nati ad ſeruiẽdum aliis: hi verò facti. Vnde etiam ſeruitus alia dicitur naturalis, alia legalis. 4. Bodinus lib. 1. de Republica cap. 5. quinq; genera ſeruorum conſtituit: vnum eorum, qui natura ſerui dicuntur ex ancillâ concepti: alterum eorum qui capti ſunt ab hoſtibus, qui antiquo iure belli ſerui fiebant: tertium eorum, qui ad opera publica damnati fuerunt, qui ſerui pœnæ appellabantur: quartum eorum, qui ſeipſos in ſeruitutem ſpõte dediderunt, ac potiſſimum ii, qui ſuę libertatis pretium acceperunt: extremum eorum, qui à piratis aut latronibus vẽditi bonâ fide ab emptoribus poſſidentur. 5. Piccolomineus gradu 10. ciuilis Philoſophię c. 6. ſeruos alios eſſe docet natura, alios moribus, alios fortuna, alios pacto. Notandum autem, quoſdam inueniri, qui inter famulum & ſeruum diſtinguunt, tanquam inter genus & ſpeciem. Famulum enim vocant, qui hero ſuo famulatur, ſiue ſit libera perſona, eaq; conducta mercede, ſiue non, ſiue ſit non libera. Seruum verò propriè dicunt eſſe hominem non liberum, ſiue ſponte talis ſit, ſiue non. Sed quia hoc diſcrimen in communi loquendi vſu non obſeruatur, non magni momenti eſſe videtur.

reliquas creaturas terrenas in primâ creatione ac- 2.
ceperunt. 2 Quia natura omnes homines produ-
cit aptos ad imperandum & parendum: tametſi
non omnes ob diuerſam conſtitutionem & ἰδιο-
κρασίαν ſui corporis, diuerſamq; educationem &
inſtitutionem æqualiter ſint apti, ſed alii magis, a-
lii minus. Vnde rectè dici ſolet in communi pro-
uerbio: οὐκ ἔστιν εὖ ἄρξειν, μὴ ἀρχθέντα Non poteſt benè
imperare, qui prius imperio non paruerit, vt cita-
tur ab Ariſtotele lib. 3. Polit. In quam ſententiam
etiam Plato lib. 6. de legibus inquit: ὁ μὴ δουλεύσας οὐδ'
ἂν δεσπότης γένοιτο ἄξιος ἐπαίνου. *Qui nunquam fuit ſer-*
uus, non poteſt fieri dominus laude dignus, ſiue, vt alii 3.
efferunt: *Nemo rectè dominum agere poteſt, qui non*
antea miniſtrum egerit. 3. Quia ſi quidam homines
naturâ eſſent domini, quidam ſerui: ſequeretur
Naturam non æquam omnium hominum eſſe
matrem, ſed quorundam nouercam. Quod tamẽ
eſt abſurdum.

Quæſtio deciditur per theoremata.

Pro deciſione quæſtionis propoſitæ obſeruan-
da ſunt aliquot theoremata. 1. Omnem hominem
reſpectu Dei ſuâ naturâ eſſe ſeruum; reſpectu plã- 1.
tarum, beſtiarum ſuâ naturâ eſſe dominum. 2. O- 2.
mnem hominem reſpectu aliorum hominum ex
generali Naturæ humanæ conditione aptum eſſe
imperare & parere, præeſſe & ſubiici: ex ſpeciali
vero naturæ ſuæ proprietate alium magis, alium
minus ſiue ad dominandum, ſiue ad ſeruiendum
eſſe idoneum. Sed indè non ſequi alios naturâ
eſſe dominos, alios ſeruos. 3. Omnem ſeruitutem, 3.
qua vnus homo alteri eſt obligatus eſſe aut iuſtam
aut iniuſtam: ac priorem quidem Naturæ eſſe 4.
conſentaneam; poſteriorem non. 4. Neminem

per ſe naſci poſſe ſeruum ex ſeruâ vi naturalis generationis, quę in omnibus hominib. æqualiter ſe
5. habet: ſed vi pacti & legis ciuilis interuenientis: 5. Omnem ſeruitutem iuſtam dici poſſe naturalem, vel quia in Iure naturali eſt fundata, exq; Naturæ principiis orta: vel quia Naturæ eſt congrua & conſentanea. Quod igitur ad argumenta attinet? ex illis non videtur probari poſſe theſis affirmatiua quæſtionis. Nã primum diuerſa & inæqualis aptitudo naturalis hominum ad dominandum & ſeruiendum orta ex diuerſa quantitate bonorum naturalium ſiue animi ſiue corporis, non eſt cauſa efficiens proxima, ſiue dominatus ſiue ſeruitutis actualis. Deinde ex eo, quod corpus naturâ ſubiectum eſt imperio animæ, non ſequitur hominem quoq; vnum naturâ ſubiectum eſſe dominio alterius hominis quantumuis melioris & præſtantioris. Deniq; ex matre ſeruâ naſcitur ſeruus non vi naturalis generationis, ſed vi pacti aut legis ciuilis interuenientis, vt antea dictum fuit.

Soluũtur argumenta pro ſententia Ariſtotelis allata.

22 *An delectus ſeruorum ſit habendus, & qualis.*

Pro theſi affirmante argumenta.

1. PRo prima parte quæſtionis faciunt hæc argumenta. 1. Quia ſeruorum natura non eſt eadẽ,
2. ſed diuerſa, quemadmodum etiã mores ipſorum multum inter ſe diſcrepãt. 2. Quia maximum mo-
3. mentum domus benè adminiſtrandæ poſitum eſt in ſeruis idoneis. 3. Quia inter poſſeſſiones domeſticas prima & præcipua ſunt ſerui: quippe qui ſunt inſtrumenta animata & rationalia, quorum virtute reliqua inſtrumenta domeſtica ſiue animata & bruta, ſiue inanimata moueri debent ad opus Oeconomicum rectè conficiendum. Videndum igitur

tur vt tales eligantur, qui ad miniſteria domeſticá obeundá ſunt idonei. 4. Quia ſine ſeruis idoneis Paterfamilias neq; reliquas poſſeſſiones domeſticas ſibi acquirere, neq, ad felicitatem Oeconomicam peruenire poteſt. 5. Quia vt gubernator nauem ſine clauo & remigum operâ regere non poteſt: ita neq; Paterfamilias domum ſine ſeruorum idoneorum miniſterio. 4. 5.

Delectus ſeruorum quomodo inſtituendus.

Cæterum delectus ſeruorum ita inſtitui debet, vt primum præferantur ſerui periti Oeconomicæ adminiſtrationis imperitis, induſtrii ignauis, fideles infidelibus: mediocriter timidi vel confidentes, nimis timidis vel confidentibus. Nimis enim timidi plerunq; ſunt ignaui, & laborum impatientes ob defectum caloris natiui. Nimis verò confidentes ſunt inquieti & difficulter regi poſſunt ob caloris natiui & ſpirituum vehementiam, qua agitantur, vt Ariſtoteles lib. 1. Oecon. c. 5. docet. Deinde vt à prima ætate ſi fieri poteſt in ædibus educentur, qui Patrifamilias liberaliter ſeruire debēt: Illi. n. ſtatus domeſtici ſunt peritiores, magisq; ad mores & nutus ſui heri ſeſe accōmodare poſſunt. Tertiò vt caueatur, ne multi ſerui peregrini eiuſdem gentis in domum recipiantur. Illi enim non tantum ex patriæ communione occaſionem arripiunt perpetuò inter ſe garriendi de rebus partim patriis, partim domeſticis, atq; ita opus herile negligendi: ſed etiam facilè contra herum inter ſe conſpirare poſſunt. Poſtremò vt inter ſeruos diſtinctio inſtituatur, ita vt vnus ſit ἐπίτροπος, hoc eſt, *procurator & director*, reliqui ἐργάται operarii. Obſeruandum autem ſecundum Xenophontē, in Oeconomicis eligendos eſſe ſeruos nō

temulentos, ſomnolentos, libidinoſos, ſed potius auaros. Rationes ipſius ſunt. 1. Quia temulenti ad diligentiam aſſueſieri non poſſunt, cum ebrietas omnium officiorum obliuionē inducat. 2. Quia ſomnolenti neque ipſi ſuo officio fungi poſſunt, neque alios ad id hortari. 3. Quia libidinoſi nullius rei, quam rei venereæ curam habere poſſunt. 4. Quia auari cum lucri ſint ſtudioſi ad rerum agreſtium curam valdè ſunt dociles.

23 *An ſocietas propinquorum pertineat ad conſtituendam vnam numero familiam?*

Sententia negatiua defenditur.

PEr ſocietatem propinquorū intelligitur partim cognatorum, ſeu conſanguineorum, partim affinium ſocietas. Et cum illa ex ſocietate cōiugali primam ſuam originem habeat, non temere quæritur, vtrum pertineat ad conſtituendam familiam. Sciendum autem nullos pertinere ad conſtituendam vnā̄ numero familiam, niſi qui vnius & eiuſdem Patrisfamilias imperio ſunt ſubiecti, cuiuſmodi ſunt liberi nondum emancipati, item illi, quid ad ſeruitutem vltrò ſe obligarunt. Quoniam enim reliqui propinqui aut ſunt peculiares Patresfamilias, aut ſub alterius Patrisfamilias imperio viuunt: idcirco non poſſunt vnam numero familiam conſtituere.

24 *An omnis familia conſtet ex triplici ſocietate domeſtica, coniugali, paterna & herili?*

ARiſtoteles lib. 1. Polit. cap. 3. & 12. ſocietatem domeſticam triplicem conſtituit, vnam vocat

cat

καὶ γαμικὴν alteram πατρικὴν tertiam δεσποτικήν. Hinc igitur quæritur an omnis familia ex triplici illa ſocietate domeſtica conſtet? Diſtinguendum autē eſt inter familiam perfectam & imperfectam. Perfecta familia eſt, quæ ex triplici ſocietate domeſtica, nempe coniugali, paterna & herili, tanquam ex tribus partibus integrantibus eſt compoſita. Imperfecta eſt, in qua aliqua ex tribus illis ſocietatibus deeſt. Eſtq; vel magis vel minus imperfecta. Magis imperfecta eſt, in qua vel coniugalis, vel paterna vel vtraq; deeſt: cuiuſmodi eſt familia tum viduorum, tum viduarum, tum cœlibum & Oeconomiam propriam inſtituentium: Minus imperfecta eſt, in qua deeſt ſocietas herilis vel ob paupertatem domeſticam, vel ob aliam cauſam. De hac familia videtur loqui Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 2. cum ait: ὁ βοῦς ἀντ' οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστιν. Bos pro ſeruo pauperibus eſt.

Quæſtio deciditur per diſtinctionē.
Perfecta familia quid?
Imperfecta quid?

Cap. V

De rei familiaris natura.

PRÆCEPTA.

1 H*Actenus de familiâ. Sequitur res familiaris, in qua conſideranda partim eius natura, partim media acquirendi rem familiarem.*

2 *Natura rei familiaris cognoſcitur, partim ex definitione, partim ex diſtributione.*

3 *Res familiaris eſt multitudo bonorum externorum ad familiam benè ſuſtentandam &* *Rei familiaris definitio.*

Digitized by Google

conſeruandam, aliosq́ vitæ domeſticæ vſus appoſita.

Partitio. 4 *Eius partes ſunt diſtinctæ poſſeſſiones ad Oeconomiam pertinentes, quarum alia eſt naturalis, alia artificialis.*

5 *Poſseſſio naturalis eſt, quæ à Natura in vſum hominum immeditate producitur.*

6 *Eſtq́ vel animata, vel inanimata.*

7 *Animata poſſeſſio eſt, quæ vitæ eſt particeps.*

8 *Eſtq́ vel animal, vel planta.*

9 *Animal eſt poſſeſſio animata ſenſu prædita.*

10 *Eſtq́ vel rationale, vt ſeruus, vel irrationale, vt beſtia.*

11 *Seruus eſt animal rationale, quod inter poſſeſſiones domeſticas primum eſt, & maximè neceſſarium.*

12 *Beſtia eſt animal irrationale Oeconomiæ plurimum inſeruiens.*

13 *Eſtq́ vel terreſtris, vel aquatilis.*

14 *Terreſtris eſt, quæ ex terra victũ quærit.*

15 *Eſtq́ vel alata, vel inalata.*

16 *Alata vel eſt apis vel auis: quarum illa ad mellificium; hæc ad victum eſt vtilis; cuiuſmodi eſt gallina, anſer, anas, columba, & id genus alia.*

17 *Inalata vel eſt cicur, vel fera.*

18 *Cicur eſt, quæ manibus hominum eſt tractabilis ob naturam eius manſuetam.*

19 *Eius*

19 Eius generis ſunt pecus, canis & felis.

20 Pecus eſt quadrupes cicur ad victum vel laborem domeſticum vtilis.

21 Eſtq; vel maior, quæ alio nomine dicitur armentum ſeu iumentum, vel minor.

22 Prioris generis ſunt elephas, camelus, equus, aſinus, bos, vacca, &c.

23 Poſterioris generis ſunt oues, capræ, ſues domeſticæ, &c.

24 Canis eſt quadrupes cicur ad cuſtodiendam domum idonea.

25 Felis eſt quadrupes cicur ad purgandam muribus domum idonea.

26 Aquatilis beſtia eſt, quæ ex aqua victũ petit, cuiuſmodi eſt piſcis.

27 Plãta eſt poſſeſſio animata ſenſus expers.

28 Eſtq; vel herba, vel frutex, vel arbor.

29 Fuit poſſeſſio animata. Sequitur inanimata, quæ vita eſt expers.

30 Illa eſt prima, vel à prima orta.

31 Prima eſt, quæ orginem aliis præbet.

32 Eius generis ſunt partim ager, hortus, vinea, ſylua: partim piſcina, ſtagnũ, lacus; partim fodina metallica & lapicidina.

33 A prima orta alia eſt principalis, alia minus principalis.

34 Principalis eſt, quæ nutritioni humanæ inſeruit.

35 *Eſtq; vel eſculenta, vel potulenta.*

16 *Eſculenta eſt, quæ ad cibum eſt idonea; cuiuſmodi eſt frumentum, legumen, fructus arboreus, panis & id genus alia.*

37 *Potulenta eſt, quæ ad potum eſt idonea, cuiuſmodi eſt vinum & cereuiſia.*

38 *Minus principalis eſt, quæ non nutritioni humanæ, ſed aliis vſibus Oeconomicis inſeruit, cuiusmodi ſunt lignum, ſtramen, fœnum, lapides, metalla, &c.*

39 *Sic de naturali poſſeſſione. Reſtat artificialis, quæ artis opera comparatur.*

40 *Illa vel eſt domus, vel ſupellex domus.*

41 *Domus eſt poſſeſſio artificialis immobilis, partim familiæ habitationi, partim Oeconomicæ adminiſtrationi inſeruiens.*

42 *Supellex domus eſt poſſeſſio artificialis mobilis domo contenta ad vſus Oeconomicos.*

43 *Eſtq; vel propria, vel impropria.*

44 *Propria eſt, quæ per ſe Oecnomicæ rectè inſtituendæ inſeruit.*

45 *Eſtq; vel primaria, vel ſecundaria.*

46 *Primaria eſt pecunia. Eſt enim inſtrumentum Oeconomicum, per quod Paterfamilias non tantum neceſſaria vitæ ſubſidia: ſed etiam alia inſtrumenta de nouo parare, perditaq; recuperare poteſt.*

47 *Secūdaria eſt, quæ pecunia cōparari poteſt.*

48 *Eaq;*

18 *Eaq; eſt varia & multiplex, ſiue materiam, ſiue vſum ſpectes.*

49 *Ex materia alia eſt lignea, alia lapidea, alia metallica, alia vitrea, alia fictilis ſeu argillacea, alia linea, alia lanea, alia ſerica, alia plumea, &c.*

50 *Ex vſu in genere alia eſt ad neceſſitatem, alia commoditatem, alia ad ornatum.*

51 *In ſpecie alia eſt veſtiaria, alia culinaria, alia cellaria, alia menſaria, alia cubicularia, alia ſtabularia, alia deniq; operaria, vt ſecuris, malleus, ligo, aratrum, &c.*

52 *Impropria ſupellex eſt, quæ per ſe Oeconomiæ non inſeruit, ſed per accidens, cuiusmodi ſunt, arma, liberi & medicamenta.*

1 *Quid ſit res familiaris, & num illius cura Patrifamilias ſit ſuſcipienda?*

RES familiaris ab Ariſtotele lib. 1. Polit. cap. 4. dicitur modo κτῆσις, modo κτῆμα, hoc eſt, *poſſeſſio vel bonum poſſeſſum*, definiturque 1. μέρος τῆς οἰκίας ἀναγκαῖον οὗ ἄνευ ἀδύνατον καὶ ζῆν, καὶ εὖ ζῆν, h.e. *pars domus, neceſſaria, ſine qua neq; viuere, neq; benè viuere fas eſt.* 2. ὄργανον πρὸς ζωήν, hoc eſt, *inſtrumentum ad vitam ſcilicet domeſticam benê degẽdum.* 3. πλῆθος ὀργάνων οἰκονομικῶν, hoc eſt, *multitudo inſtrumentorum domeſticorum œconomicorũ.* Ab aliis definitur modo inſtrumentum familię neceſſarium tum ad viuendum, tum ad benè viuendum: modò poſſeſſionum multitudo, ſine quibus ſocietas domeſtica non poteſt vel conſtitui vel conſeruari. Cum

Digitized by Google

quibus definitionibus planè conſentit illa, quam in præcepto tertio aſſignaui: Res familiaris eſt multitudo externorum bonorum ad familiam benè ſuſtentandam & conſeruandam, aliosq; vitæ domeſticæ vſus appoſita. In qua loco generis proximi poſui multitudinem bonorum externorum vt rem familiarem tanquam totum integrale à partibus integrantibus, quæ ſunt ſingula bona externa, ſeu ſingulæ poſſeſſiones domeſticæ diſtinguam: loco vero differentiæ ſpecificæ poſui verum finem, ad quem res familiaris à Deo & Natura & rectâ ratione eſt deſtinata: cuius gratia etiam τὰ κτήματα dicuntur χρήματα. Vndè porrò patet neceſſe eſſe vt bonus Paterfamilias rei familiaris curam ſuſcipiat.

Cura rei familiaris Patrifamilias ſuſcipienda. Ratio.

1. Quia eſt pars domus ad eius integritatem conſtituendam neceſſaria. 2. Quia ſine eâ in ſocietate domeſticâ, neq; viuere, neque benè viuere poſſumus. 3. Quia ſuo ambitu complectitur omnia inſtrumenta ad Oeconomiam benè inſtituendam requiſita.

2 *An bona externa in cenſu verorum bonorum ſint habenda?*

Stoici theſin negantem defendunt. Rationes ipſorum ſunt.

STOici fuerunt in illâ opinione nihil eſſe verum bonum, niſi ſit honeſtum. Ideoq; negarunt bona externa, quæ vulgo bona fortunæ dicuntur, in cenſu verorum bonorum eſſe habenda. Rationes ipſorum ſunt. 1. Quia ſuâ naturâ ſunt adiaphora, hoc eſt, neq; bona, neq; mala. 2. Quia cadunt in virum improbum. 3. Quia ſunt fomenta & inſtrumenta vitiorum ac impedimenta virtutũ, quatenus auaritiam, ſuperbiam, iniuſtitiam, & ſimilia

Digitized by Google

milia vitia gignunt & alunt, atq; à contrariis virtutibus hominē abſtrahunt. Hinc rectè Auguſtinus de verbis Domini: Aurum eſt materia laborum, periculum poſſidentium: aurum eneruatio virtutum: aurum malus domin⁹, proditor ſeruus. 4. Quia ſunt irritamēta turpium, noxiarumq; vo-
luptatum. 5. Quia ſui poſſeſſorem bonum nō red- 4.
dunt. 6. Quia nonnunquam ſatiant & explent 5. 6.
appetitum hominis: ſiquidem homines his bonis circumfluentes, ea tamen deſiderant maximè,
quibus abundant. 7. Quia cruciant homines libi- 7.
dine augendi ſe, & metu amittendi. 8. Quia 8.
ſunt inconſtantia, fragilia & caduca. 9. Quia à 9.
viris probis contemnuntur: quemadmodum ſuo exemplo teſtatur Crates ille Thebanus, qui cum ditiſſimus eſſet, & ad Philoſophiam diſcendam Athenas ſeſe conferret, abiecit magnum auri pondus: propterea quod non putaret ſe vir-
tutes & diuitias ſimul poſſidere poſſe. 10. Quia 10.
tunc ſolum nitent, cum effunduntur, non cum
cumulantur. 11. Quia nimia eorum copia fe- 11.
licitati obeſt, hominemq; à ſtudio veritatis & virtutis auertit.

Pro theſi affirmante Argumenta.

At pro contraria ſententia afferri ſolent hęc ar-
gumenta. 1. Quia bona externa ſunt dona Dei, ab 1.
eoque tanquam ſummo bono oriuntur. 2. 2.
Quia per ſe ſunt inſtrumenta, adiumenta, & ornamenta virtutum. 3. Quia neceſſitati & in-
digentiæ humanæ ſuccurrunt. 4. Quia per ſe ſunt 3. 4.
innoxia, & conducunt adeptioni & vſui felicitatis terrenæ. 5. Quia per ſe ſunt præeli-
genda & appetenda. 6. Quia viro probo 5.
ſunt bona. Quale autem vnumquodque viro 6.

Digitized by Google

probo eſt. tale abſolute iudicari meretur: cum virtus moralis ſit menſura rerum.

Quæſtio de-
ciditur per
theoremata.

Pro deciſione quæſtionis obſeruanda ſunt ſe-
quentia theoremata. 1. Vera bona alia eſſe hone-
1. ſta, alia vtilia, alia iucunda, ſeu vt alii loquuntur. a-
2. lia moralia, alia naturalia. 2. Naturalia bona alia
eſſe ſimpliciter ſeu abſolutè bona; alia reſpectiuè
3. bona nimirum huic vel illi. 3. bona fortunæ non
quidem eſſe bona honeſta & moralia: ſed tamen
4. bona naturalia, & quidem tam abſolutè, quam
reſpectiuè. 4. Bona fortunæ ſuâ naturâ eſſe media
ſeu adiaphora, hoc eſt, neq; bona, neq; mala mo-
raliter fieri tamen talia reſpectu eorum, qui benè
vel male iis vtuntur. Et hoc etiam teſtatur Græ-
cū illud effatum: ὁ μὲν οἶνος συμμεταβάλλει τοῖς ἀγγείοις,
ὁ δὲ πλοῦτος τοῖς τῶν κεκτημένων τρόποις. Quod igitur ad

Refutantur
argumenta
Stoicorum.

rationes attinet pro ſententia Stoicorum allatas
ad priores duas reſpondeo, illas quidem eſſe ve-
1. ras, præſertim quatenus prima de bonis & malis
2. moralibus intelligitur: ſed inde non ſequi bona
externa planè non eſſe vera bona; cum ſint bona
naturalia, & tam probis, quàm improbis commu-
3. nia. Ad tertiam & quartam reſpondeo illas non
4. per ſe eſſe veras, ſed per accidens, propter volun-
5. tarium hominum abuſum. Ad quintam reſpōdeo
bona externa non quidem ſui poſſeſſorem red-
dere bonum moraliter, hoc eſt probum: nihilo-
9. minus tamen eum reddere in ſuo bonum genere.
Hinc rectè diuitiæ dicuntur hominem reddere
diuitem. Ad ſextam reſpondeo de ratione cuius-
libet boni non eſſe explere & ſatiare appetitum
7. hominis: ſed hoc duntaxat competere ſummo
bono. Ad ſeptimam reſpondeo, illam non per ſe;
ſed

ſed per accidens eſſe veram propter nimium diuitiarum appetium, nimiamq; curam & ſolicitudinem, quam homines diuitiarum cauſa ſuſcipiunt. Ad octauam reſpondeo illam eſſe veram: 8.
ſed indè non ſequi bona externa non eſſe in cenſu verorum bonorum habenda: cum non omnia vera bona ſint ſtabilia; ſed quædam inſtabilia & caduca. Ad nonam reſpondeo bona externa à viris 9.
bonis non ſimpliciter & abſolutè; ſed ſecundum quid & comparatè contemni, quatenus minorem eorum, quam bonorum animi curam habent. Ad decimam reſpondeo illam quidem eſſe veram de 10.
diuitiis, quatenus conſiderantur non vt κτήματα, ſed vt χρήματα: verum indè theſin neceſſariò non poſſe probari. Ad vndecimam reſpondeo illam 11.
eſſe veram non per ſe, ſed per accidens ex vitioſa hominum erga diuitias diſpoſitione & affectione.

3 *Quomodo res familiaris ſit diſtribuenda?*

CVm rei familiaris appellatione comprehendantur omnis generis poſſeſſiones, facultates & opes domeſticæ; videtur eius diſtributio nō aliunde melius, quàm à poſſeſſionum domeſticarum varietate ſumi poſſe. Illæ verò ab aliis di- *Diſtributiones aliorum recenſentur.*
ſtribuuntur in immobiles & mobiles. Immobilis dicitur, quæ de loco in locum neq; ſuapte vi, 1.
neq; vi aliena & externa tranſportari poſſunt, cuiuſmodi ſunt domus, agri, horti, vineæ, ſyluæ & id genus aliæ. Mobiles dicuntur, quæ de loco in locum tranſportari poſſunt. Et hæ rurſus diuiduntur in inanimatas & animatas. 2. aliæ dicuntur ani- 2.
matæ & inanimatæ: & hæ rurſus vel naturales, vel artificiales. 3. Aliæ dicuntur fructuoſæ, aliæ infru- 3.

ctuoſæ, quarum illa ab Ariſtotele appellantur κάρ-
6. πιμα: hæ ἄκαρπα. 4. Aliæ ad ſimpliciter viuendū dicuntur neceſſariæ, vt alimenta, & ea ex quibus alimenta parantur; aliæ ad benè viuendum, hoc eſt, vel ad commoditatem, vel ad ornatum. Hinc aliæ victui, aliæ amictui, aliæ ornatui, aliæ aliis neceſſitatibus & vſibus Oeconomicis inſeruire ſtatuuntur. Etſi vero hæ diſtributiones omnes in ſuo genere ſunt bonæ: tamen in illis præferenda videtur illa, quæ in præceptis eſt expreſſa, tum quia plenius & diſtinctius ſingulas ſpecies poſſeſſionnm domeſticarum recenſet: tum quia naturam rei familiaris clarius patefacit & illuſtrat.

4 *An pecunia propriè inter veras diuitias numerari poßit?*

Pro theſi affirmatiua Rationes.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia pecunia inter inſtrumenta Oeconomica
1. eſt primum & vltimum, quatenus per eam reliqua omnia inſtrumenta parari, aut amiſſa reparari
2. poſſunt. 2. Quia eſt medium vtile & appoſitum ſuccurrendi humanæ indigentiæ, præſertim
3. ei, quæ circa bona externa verſatur. 3. Quia ſine pecunia aut planè non, aut difficulter neceſſaria vitæ ſubſidia comparari poſſunt. Et propterea recte ait Demoſthenes: Δεῖ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων. *Opus eſt pecuniis, & ſine his nihil poteſt fieri eorum, quæ decent.* Cum quo conſentit non tantum vulgatum illud: *Cui pecunia deeſt, omnia deſunt*: ſed etiam effatum Ariſtotelis, quod libr. 1. ad Nicomach. cap. 9. extat: Ἀδύνατον γὰρ ἢ οὐ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. *Impoſſibile*

Digitized by Google

poſſibile eſt, aut non facilè res præclaras agere, cui bona externa non ſuppetunt. 4. Quia τῷ ἀργυρίῳ ὑποτέτακται πάντα, *Pecuniæ ſubiecta ſunt omnia*, vt ait Diodorus. 5. Quia inter partes diuitiarum primum locum pecuniæ tribuit Ariſtoteles lib.1. Rhetor. cap.5. Et communi hominum opinione propriè diues appellatur, qui pecuniâ abundat, eamque ad ſuos & aliorum vſus tranſfert.

Pro theſi negatiua Rationes.

Sed in contrariam partem obiiciuntur hæc argumenta 1. Quia pecunia lege eſt inuenta ad facilius promouendum commercia rerumque commutationem: ab eaq; omnem vim ac valorem accipit: imò abſq; ea res vana & inanis. Et hoc teſtatur etiam Ariſtoteles lib.1. Polit. cap.9. cum ait: λῆρος εἶναι δοκεῖ τὸ νόμισμα, καὶ νόμος παντάπασι, φύσει δ' οὐδέν. *Nugatorium eſſe videtur numus, & lege prorſus conſtare; non autem naturâ.* 2. Quia pecunia eſt communis menſura diuitiarum. Menſura autem non eſt id cuius eſt menſura. 3. Quia veræ diuitiæ ſunt, quæ pendent ab arbitrio poſſidẽtis, quibuſq; homo pro libitu vti poteſt ad ſuccurrẽdum indigentiæ. Iã autẽ pecunia non pendet ab arbitrio poſſidentis, nec homo ea pro libitu vti poteſt ad ſuccurrendum humanæ indigentiæ. Siquidẽ eius valor pẽdet ab arbitrio Magiſtratus & pro eius libitu mutari poteſt, ita vt qui nummus hodiè multum valuit, cras in eodem loco prohibitus nihil aut multò minus valeat. 4. Quia abſurdum eſt inter veras diuitias numerare id, quo præſente & abundante homo fame perire poteſt, vt teſtatur Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 9. inquiens: ἄτοπον τοιοῦτον εἶναι πλοῦτον οὗ εὐπορῶν λιμῷ ἀπολεῖται. *Talis autem res eſt pecunia,*

ſicut comprobat exemplum Midæ regis Phrygiæ. de quo fabulantur poetæ, vt eſt apud Ouidium lib.2. Metamorphoſ. Is enim cum ex nimia auaritia precatus eſt Iouem, vt quicquid attingeret, illud in aurum conuerteretur, atq; huius ſui voti compos factus eſſet: tandem omnes cibi, quos comedere voluit, in aurum ſunt conuerſi, ita vt iis frui non potuerit: & ſic coactus fuerit in ſumma pecuniæ abundantia fame perire.

Soluūtur argumenta pro theſi negante.

Reſpondeo ad primum argumentum, in illo eſſe fallaciam partim conſequentis, partim ex falſitate aſſumptionis. Licet enim pecunia lege ſit
1. inuenta, ab eaq; omnem vim & valorem accipiat: inde tamen non ſequitur, quod in numero verarum diuitiarum non ſit habenda. Præterea pecunia non ſemper à lege vim ac valorem accipit: ſed
2. plerunq; etiam à præſtantia materiæ, ex qua conſtat. Ad alterum argumentum reſpondeo in illo committi fallaciam à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. Licet enim menſura, qua mēſura non poſſit eſſe id, cuius eſt menſura: tamen fieri poteſt, vt aliquid diuerſo reſpectu ſit menſura; & menſuratum, vt cum alius nummus argenteus vel aureus per alium libræ lanci impoſitum menſuratur. Præterea nummus eſt menſura cōmunis non omnium diuitiarum; ſed earum tantum, quæ nummi appellatione non poſſunt com-
3. prehendi. Ad tertium argumentum reſpondeo aſſumptionem non eſſe ſimpliciter veram. Licet enim magiſtratus valorem pecuniæ pro ſuo arbitrio & libitu mutare poſſit, indè tamen non ſequitur, illum planè ab arbitrio poſſidentis non pendere, nec hominem eâ pro libitu vti poſſe ſecundum

dum valorem vſitatum. Ad quartum argumentum reſpondeo pecuniȩ prȩſentiam & abundantiam non eſſe cauſam per ſe, cur homo fame pereat; ſed per accidens, quatenus illâ vel non vtitur, vel non vti poteſt ob defectum rerum venalium ad victum neceſſariarum.

5. *An diuitiarum natura magis conſiſtat in vſu; quam in poſſeſſione?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia diuitiæ ſunt inſtrumenta à Deo & Natura ordinata ad ſuccurrendum indigentiæ vitæ humanæ. Cuiuſq; autem inſtrumenti natura magis in vſu, quam in poſſeſſione conſiſtit. Et propterea etiam monet Ariſtoteles libr. 2. de animâ, vt inſtrumenta ſuo fine, ad quem ſunt ordinata & deſtinata definiantur. 2. Quia etiãſi quis multas poſſideat diuitias: ſi tamen iis non vtatur ad indigentiam ſui & aliorum explendam non verè dicitur diues, ſed potius in ipſa diuitiarum abundantiâ pauper & egenus. Et hoc teſtatur etiam non tantum Plato in Epimenide, cum ait: Diuitias ſeorſum ab vſu nullas eſſe, etiamſi cuncta in aurum conuertantur: ſed etiam Ariſtoteles lib. 1. Rhet. cap. 5. cum inquit: ὅλως τὸ πλουτεῖν ἐστὶν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι. *Omnino diuitiæ in vtendo magis, quam poſſidendo conſiſtunt.* Idcirco etiam magis dicendæ ſunt χρήματα, quam κτήματα. Vnde porro ſequitur bonum eſſe diuitiis benè vti; malum diuitiis non vti, peius diuitiis malè vti. Qui enim diuitiis benè vtitur, ille agit ſecundum virtutem, quæ menſura eſt rerum, & rectum vſum omnibus præſcribit, &

1. (beside the line beginning "STatuitur")
2. (beside the line beginning "deſtinata")
Conſectariū (beside the line ending "dicendæ")

ſic verum laudem meretur. Qui vero diuitiis aut non vtitur, aut malè vtitur, ille agit non tantum contra naturam diuitiarum, ſed etiam contra ipſam virtutem & ordinationem diuinam; & ſic vituperationem iuſtam meretur.

CAPVT VI.
De mediis acquirendi rem familiarem.
PRÆCEPTA.

1 *Adhuc de naturâ rei familiaris Sequuntur media acquirendi rem familiarem, quorum alia ſunt ordinaria, alia extraordinaria.*

Ordinaria media. 2 *Ordinaria media ſunt, quæ ſecundum cõmunem ordinem & vſum hominum fiunt.*

3 *Eaq; vel ſunt ſimplicia, vel mixta.*

4 *Simplicia media ſunt, quæ ſunt eiuſdẽ generis.*

Naturalia 5 *Eaq; ſunt vel naturalia, vel artificialia.*

6 *Naturalia media ſunt, quæ circa res naturales occupantur, & primo à natura hominibus ſunt monſtrata.*

7 *Suntq; vel primaria, vel ſecundaria.*

8 *Primaria media naturalia ſunt agricultura, & cura beſtiaria.*

9 *Agricultura eſt ſtudium colendi terram.*

10 *Eaq; ſub ſe complectitur curam partim agrorum propriè dictorũ, ſiue ſint arua ſiue prata: partim vinearum; partim hortorum, partim ſyluarum.*

11 *Cura*

11 *Cura beſtiaria eſt, quæ circa beſtias verſatur.*

12 *Eſtq; vel paſtoritia, vel prædatoria.*

13 *Paſtoritia cura eſt, quæ in beſtiis præſertim cicuribus educandis & paſcendis occupatur.*

14 *Eaq; ſub ſe non tantum pecudum, columbarum & gallinacei generis; ſed etiam apum & bombycum curam comprehendit.*

15 *Prædatoria cura eſt, quæ circa beſtiarum ferarum capturam verſatur.*

16 *Eſtq; vel venatoria, vel aucupatoria, vel piſcatoria.*

17 *Venatoria eſt, quæ in quadrupedibus captandis occupatur.*

18 *Aucupatoria eſt, quæ in auibus captandis occupatur.*

19 *Piſcatoria eſt, quæ in piſcibus captandis occupatur.*

20 *Secundaria media naturalia ſunt foſſura mineralium & caſura lignorum.*

21 *Foſſura mineralium eſt, per quam metalla, lapides, & id genus alia ex terræ viſcerib. effodiuntur.*

22 *Caſura lignorum eſt, qua ligna ex fruticibus & arboribus cæduis conquiruntur.*

23 *Fuerunt media naturalia. Sequuntur artificialia, quæ ars in primis homini monſtratur.* 2. *Artificialia.*

24 *Suntq; permutatio & ædificatio.*

25 *Permutatio eſt, cum vel res pro re, vel res*

pro pecunia, & vice verſa, vel pecunia pro pecunia commutatur.

26 Eius ſpecies ſunt mercatura, fœneratio, & operæ elocatio.

27 Mercatura eſt permutatio, quæ circa mercium emptionem & venditionem, exportationem & importationem verſatur.

28 Eaq; vel eſt liberalis vel ſordida.

29 Liberalis eſt, quæ hominem liberalem decet.

30 Eſtq; vel externa, vel domeſtica,

31 Externa mercatura eſt, quæ in peregrinis locis inſtituitur.

32 Eſtq; vel maritima, vel terreſtris,

33 Maritima eſt, quæ nauigatione peragitur. Vnde dicitur nautica.

34 Terreſtris eſt, quæ vectura peragitur. Vnde dicitur vectoria.

35 Domeſtica mercatura eſt, quæ domi ab inſtitoribus peragitur. Vnde dicitur inſtitoria vel ſtataria.

36 Sordida mercatura eſt, quam caupones vendendis eſculentis & potulentis exercēt. Vnde dicitur cauponaria.

37 Fœneratio eſt permutatio, qua quis pecuniam ſuā pro pecunia lucri cauſa alteri mutuat. Hinc cognatum eſt cambium, quod eſt permutatio, qua quis pecuniam pro alia pecunia alteri dat,

dat præſertim lucelli alicuius gratia.

38 *Operæ elocatio eſt permutatio, qua quis operam ſuam alteri pro mercede certa locat.*

39 *Eſtq́; vel liberalis vel ſordida.*

40 *Liberalis eſt, cum quis operam ſuam Reipublicæ in adminiſtrando officio aliquo publico & honeſto, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue Scholaſtico ſiue Politico, vel pacis, vel belli tempore certo ſtipendio locat.*

41 *Sordida eſt, cum quis operam manuariã alteri in re parum honeſta certa mercede locat. Vnde κατ' ἐξοχὴν dicitur* mercenaria.

42 *Adhuc de permutatione, ſequitur ædificatio, qua domus de nouo acquiritur.*

43 *Illa accommodanda eſt ad bonum tum familiæ, tum rei familiaris.*

44 *Reſpectu familiæ domus ædificanda eſt, quæ ad ſanitatem, commoditatem & iucunditatem habitantium ſit appoſita.*

45 *Talis autem erit ſi primum in loco ſalubri ſit ſita, & quidem æſtate ad ſeptentrionem; hyeme ad ortum & meridiem ſpectet. Deinde ſi aptis ac diſtinctis contignationibus ac conclauibus pro ratione vſus conſtet.*

46 *Reſpectu rei familiaris domus ædificanda eſt, quæ ſeruandis & cuſtodiendis poſſeſſionibus domeſticis ſit idonea & vtilis.*

47 *Sic ſe habent media ordinaria & ſim-*

plicia. Reſtant mixta & extraordinaria: Mixta ſunt, quæ diuerſi ſunt generis, hoc eſt, ex ſimplicibus compoſita.

48 *Extraordinaria ſunt, quæ extra communem hominum ordinem & vſum fiunt.*

49 *Eaq; vel ſunt directa, vel indirecta.*

50 *Directa ſunt partim hæreditas & dos: partim donatio & inuentio theſauri.*

51 *Indirecta ſunt partim emptio, elocatio, & conductio poſſeſſionis alicuius domeſticæ: partim bellū & certamen, quod fit depoſito pignore: partim luſus & contractus aſſecurationis, & ſi qua alia ſunt eiuſdem generis media.*

52 *In his autem mediis omnibus eligēdis & perſequendis adhibenda inprimis eſt Patrisfamilias prudentia, ſedulitas & iuſtitia, fugiēda verò imprudentia, ignauia & iniuſtitia.*

53 *Prudentia requiritur, vt Paterfamilias de rebus ad rem familiarem pertinentibus; eiusq; acquirendæ mediis benè poſſit conſultare, rectèq; inter ea, quæ abſolutè vel comparatè bona ſunt vel mala, diſcernere.*

54 *Sedulitas requiritur, vt idem declinata omni incuria & curioſitate debitos labores, eo quo decet modo, obeat, ſuoq; officio non deſit in acquirenda re familiari.*

55 *Iuſtitia requiritur, vt idem in acqirenda re familiari nemini ſiue per iniuſtam retentionem,*

Digitized by Google

tionem, ſiue per iniuſtam ablationem iniuriam faciat.

1 ***An acquiſitio rei familiaris Patrifamilias ſit neceſſaria, & num eius doctrina ad Oeconomicam pertineat?***

STatuitur theſis affirmatiua in vtraq; parte quę- *Pro priore*
ſtionis. Ac pro priore quidem faciunt hæ ra- *parte quæ-*
tiones. 1. Quia acquiſitio rei familiaris nihil aliud *ſtionis Ratio.*
eſt, quam θησαυρισμὸς χρημάτων πρὸς ζωὴν ἀναγκαίων καὶ 1.
χρησίμων. hoc eſt, *collectio ſeu coacervatio rerum ad vi-*
tam domeſticam benè degendam neceſſariarum & vti- 2.
lium, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Polit. c. 8. 2. Quia
ſine acquiſitione rei familiaris familia benè ſu-
ſtentari, eiuſq; indigentiæ ſuccurri non poteſt.
3. Quia Natura prouida rerum mater ſuo exem- 3.
plo nos hortatur ad acquirendam rem familiarẽ:
Illa ſiquidem non tantum cuilibet animali ſimul
ac in lucem editum eſt, de victu conueniente pro-
ſpicit: ſed etiam homini ingenii ſagacitatem
largita eſt, ad excogitandum varios modos, ſibi
ſuiſq; victum, aliaq; neceſſaria vitæ ſubſidia com-
parandi. 4. Quia Sacra ſcriptura præcipit, vt 4.
Paterfamilias ſuæ domus, & parentes ſuorum
liberorum curam habeant, iiſq; theſauros con-
gerant. 1. ad Timoth. 5. verſ. 8. Et 2. ad Corinth.
cap. 12.

Pro poſteriore autem parte hæc argumenta *Pro poſterio-*
valent. 1. Quia doctrina acquirendi rem familia- *re parte quæ-*
rem, quæ Græcè dicitur κτητικὴ eſt pars Oecono *ſtionis Argu-*
micæ, vt teſtatur Ariſtot. lib. 1. Polit. cap. 4. ſub ini- *menta.*
tium, & cap. 8. ſub finem. 2. Quia ſine ea Oeco- 1.
nomica non eſſet perfecta; ſed mutila & manca.

2 *Quæ requirantur in Patrefamilias, qui rem familiarem feliciter vult acquirere?*

1. PRimum neceſſe eſt, vt ſit naturâ ingenioſus & ſagax: illa enim naturalis ingenii ſagacitas ho-
2. minem diſponit ad comparandam prudentiam Oeconomicam. Deinde opus eſt, vt non tantum earum rerum, quæ acquirendæ ſunt; ſed etiam locorum & temporum, quibus proueniunt, naturam & conditionem cognitam & exploratam habeat, vt ita meliores & potiores poſſet tempeſtiuè eligere. Ad quam rem plurimum conducit cognitio diſciplinæ phyſicæ. Vndè etiam rectè dici ſolet: Bonum Patremfamilias debere eſſe bonum Phyſicum. Et Thales Mileſius hoc ſuo exemplo comprobauit, vt teſtatur Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 11. Cum enim quidam ei ob paupertatem probri loco obiicerent Philoſophiæ ſtudium eſſe inutile & infructuoſum: ille ex aſtrologiâ præuiſa olearum vbertate, hyeme nondum exacta, paucorum nummorum copiâ inſtructus, omnia olei conficiendi loca in Mileto & Chio inſulis datis arrhabonibus paruo conduxit: quippe cum licitator nullus eſſet, qui mercedem augeret. Vbi autem tempus venit, cum multa ſimul & ſubito quærerentur, ille ſuo arbitratu, & quanti vellet is elocatis multum pecuniæ congeſſit, atq; ita reipſa oſtendit, ὅτι ῥᾴδιόν ἐστι πλουτεῖν τοῖς φιλοσόφοις, ἂν βούλωνται,
3. ἀλλ' οὐ τοῦτ' ἐστι περὶ ὃ σπουδάζουσι. hoc eſt, *quod facilè eſt Philoſophis ditescere ſi vellent, ſed id non eſt ipſis curæ.* Tertiò requiritur, vt omnes modos, omniaq; media acquirendi rem familiarem perſpecta habeat.

Nemo

Nemo enim poteſt ſine mediis ad finem optatum peruenire. Quartò neceſſe eſt; vt ſit laborioſus, ne ex incuria & ignauia media κτητικὰ ἢ πορισικὰ negligat. 4.
Poſtremò opus eſt, vt ſit iuſtitiæ ſtudioſus, ne per illicita & iniuſta, ſed licita & iuſta media rem familiarem acquirere ſatagat. 5.
Hinc rectè monet Euripedes: Ἀδίκως μὴ κτῶ χρήματ' ἂν βούλῃ πολὺν χρόνον μελάθροις ἐμμένειν. τὰ γὰρ κακῶς οἴκους εἰσελθόντ' οὐκ ἔχει σωτηρίαν: *Iniuſtè pecunias ne comparato, ſi voles longo tempore in ædibus tuis manere. Nam quæ male domos ingrediuntur, non habent ſalutem.*

3 *Quomodo Ariſtoteles media acquirendi rem familiarem diſtribuat, & quid de illa diſtributione ſit ſentiendum?*

IN libro 1. Polit. cap. 8. 9. 10. & 11. Ariſtoteles circa rem familiarem, quam vocat κτῆσιν, duo conſideranda eſſe docet, 1. rationem acquirendi, quã vocat κτητικήν. 2. rationem vtendi, quam nuncupat χρηστικήν. Priorem definit modò ἐπιμέλειαν περὶ τὴν τροφὴν, *curam circa victum*; modò ἐπισυναγερμὸν τῶν πρὸς ζωὴν ἀναγκαίων καὶ χρησίμων εἰς κοινωνίαν πόλεως ἢ οἰκίας, *collectionem rerum ad vitam neceſſariarum & vtilium in communionem ciuitatis vel domus.* Eamq; triplicem conſtituit, vnam Naturalem, aliam artificialem, tertiam mixtam. Naturalem κτητικὴν vocat, quam Natura ipſa vrgente neceſſitate homini monſtrat. Eamque potiſſimum circa ea, quæ ad victum pertinent verſari aſſerit, quam rurſus facit duplicem, vnam ſimplicem, alteram mixtã. Simplicem vocat, quæ vnius generis eſt: eiuſq; quinque ſpecies conſtituit: quarum primam vocat

γεωργικὴν ad agriculturam pertinentem, per quam victus ex terræ cultu acquiritur; alteram νομαδικὴν paſtoritiam, per quam victus ex paſtione animalium cicurum acquiritur: tertiam λῃστρικὴν ἢ πολεμικὴν, prædatoriam ſeu bellicam, per quam ex bello & prædatione hoſtium victus acquiritur; quartam ἀγρευτικὴν ad capturam pertinentem, per quam ex captura beſtiarum ferarum victus acquiritur. Sub qua complectitur θηρευτικὴν, ὀρνιθοθηρευτικὴν καὶ ἁλιευτικὴν, hoc eſt, *venatoriam*, *aucupatoriam & piſcatoriam*: quintam μεταλλευτικὴν καὶ ὑλοτομίαν, per quam *ex foſſura metallorum, & caſura lignorum victus* acquiritur. Mixtam vocat, per quam non vna ſaltem ratione, ſed diuerſis modis victus comparatur. Artificialem κτητικὴν vocat, quam ars homini ſuggeſſit & monſtrauit, ſeu quæ ſtudio & induſtria hominum eſt inuenta. Eamq; dicit perfici per commutationem rerum. Vnde dicitur ἀλλακτικὴ καὶ μεταβλητικὴ, hoc eſt, *permutatoria* nominatur: Item à pecunia, quæ medium & inſtrumentum eſt vſitatum in permutationibus, vocatur χρηματιστικὴ, pecuniaria. Porro permutatoriam in tres ſpecies ſubdiuidit, vnam vocat ἐμπορίαν *mercaturam*, cuius partes dicit eſſe ναυκληρίαν, φορτηγίαν, καὶ παράστασιν, hoc eſt, *nauticam*, *vectoriam*; *& inſtitoriam*: alteram vocat τοκισμὸν *fœnerationem* ſeu ὀβολοστατικὴν *fœneratoriam. vſurariam*: cum pecunia ad aliquod tẽpus pro fœnore elocatur, vt ex ſe aliam pecuniã ſucceſſu temporis pariat: tertiam vocat μισθαρνίαν *operæ elocationem*, quam partim opificibus, partim mercenariis manuariam tantum operam præſtantibus attribuit. Ad permutatoriam refert

etiam

etiam partim κολλυβιστικὴν *nummulariam* partim καπηλικὴν *cauponariam*. Nummulariam vocat, cum pro ſola pecuniæ cum alia pecunia permutatione lucrum exigitur. Cauponariam vocat, cum eſculentorum & potulentorum venditione victus acquiritur. Mixtam denique κτητικὴν dicit eſſe, quæ ex naturali & artificiali, aut diuerſis alterutrius ſpeciebus eſt conflata. Cæterum hæc diſtributio Ariſtotelica mediorum acquirendi rem familiarem non parum videtur eſſe vitioſa:

Diſtributiones Ariſtotelis examinãtur.

1. quia tres illæ ſpecies κτητικῆς nempe naturalis, artificialis & mixta commodius ad dichotomiam reuocari poſſunt, vt primo alia dicatur ſimplex, alia mixta: deinde ſimplex alia naturalis, alia artificialis. 2. quia naturalis κτητικὴ non rectè diuiditur in ſimplicem & mixtam: cum hæc diuiſio in primâ contineatur. 3. quia malè inter naturales modos acquirendi rem familiarem πολεμικὴ ἢ λῃστικὴ, hoc eſt, *ars militaris & prædatoria*, per quam ex bello & prædatione hoſtium aut barbarorum & agreſtium hominum victus acquiritur. Illa enim ratio acquirendi videtur eſſe violenta, & contra naturam; præſertim ſi homines illi non ſint hoſtes. Neque ſequitur ſi non contra Naturam eſt beſtias capere in vſum hominum: propterea etiam contra naturam non eſſe barbaros & agreſtes homines capere, & ad ſeruiendum nobis cogere. Eſt enim in propoſitione illa connexa elenchus falſorum parium. 4. Quia non omnia media acquirendi rem familiarem illa diſtributione ſunt expreſſa: ideoq; ſuo diſtributo eſt anguſtior.

Digitized by Google

4 *Quomodo naturalis ratio acquirendi rem familiarem differat ab artificiali?*

CVm Ariſtotel. κτητικὴν, hoc eſt, *rationem acquirendi rem familiarem*, faciat duplicem, vnam naturalem, alteram artificialem, non ineptè quæritur, quomodo vtraq; inter ſe differat. Ac ſunt nonnulli, qui quadruplex diſcrimen afferunt: ac primum quidem vnam ab alterâ differre aiunt origine ſeu cauſa efficiente, quod naturalem monſtrauerit & docuerit ipſa Natura: artificialem verò ars & induſtria hominum excogitauerit. Deinde obiecto, quod naturalis ſolum verſetur circa victum & alimenta; quæ ad vitam ſuſtentandam ſunt neceſſaria: artificialis vero non ſolum circa victum & alimenta, ſed etiã circa alias quaſcunque res ſit occupata, quarum acquiſitio ad vitam hanc commodius tranſigendam videtur eſſe accommodata. Tertiò fine, quod Naturalis referatur ad ſupplendum Naturæ indigentiam & neceſſitatem: artificialis verò ab hominibus excogitata ſit ad ſplendorem, voluptatem & luxum. Deniq; adiuncto, quod naturalis ſit finita, hoc eſt, certis terminis ab ipſa Natura, quæ paucis eſt cõtenta, circumſcripta: artificialis verò ſit infinita, propterea quod ab hominum cupiditate, quæ inſatiabilis eſt, ſit profecta. Cæterum ex his quatuor diſcriminibus ſolum primum ſimpliciter eſt verum: Reliqua verò tria conſiſtere non poſſunt. Nam primum falſum eſt, quod Naturalis κτητικὴ tantum circa victum & alimenta verſetur: cum etiam occupetur circa metalla, lapides, ſyluas & ſimiles res, quæ per ſe omninò ad victum non pertinent.

Sententia aliorum exponitur & diiudicatur.

Digitized by Google

tinent. Deinde non minus κτητικὴ artificialis refertur ad ſupplendam Naturæ indigentiam & neceſſitatem, quam Naturalis: & falſum eſt, quod excogitata fuerit duntaxat ad ſplendorem, voluptatem & luxum. Deniq; non minus artificialis κτητικὴ per ſe eſt finita ac naturalis: tametſi vtraque per accidens propter auaritiam hominum fiat infinita.

5 *An agricultura ſit bona, & inter omnia media acquirendi rem familiarem maximè naturalis & neceſſaria?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia ab ipſo Deo ſtatim à creatione mũdi inſtituta fuit, hominiq; iniuncta agricultura. Vndè etiam ab Ariſtotele lib. 1. Oecon. cap. 2. γεωργικὴ dicitur κατὰ φύσιν πρωτίστη. Et ab aliis nullum vitę genus antiquius agricultura. 2. Quia magis ſecundum Naturam eſt ex terrâ, quæ mater & nutrix noſtra eſt, quam aliundè nutriri. Naturaliter enim cunctis à matre nutrimẽtum ſuppeditatur teſte Ariſt. libr. 1. Oecon. cap. 2. 3. Quia, vt Muſonius ait, καλὸν καὶ εὐδαιμονικὸν καὶ θεοφιλὲς τὸ ζῆν ἀπὸ γεωργίας ἐστί, hoc eſt, *res honeſta, beata, & Deo grata eſt, ex agricultura viuere.* Idcirco etiam Horatius rectè canit:

Pro theſi affirmante. Ratio. 1. 2. 3.

Beatus ille qui procul negotiis,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis, &c.

Item Virgilius lib. 2. Georg.

O fortunatos nimium ſua ſi bona norint
Agricolæ, quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.

4 Quia omnium rerum, ex quibus aliquid ac- 4.

quiritur nihil agricultura melius, nihil vberius, nihil homine dignius habetur. Terra ſiquidem, vt Moſonius ait, optimè iuſtiſſimeque reſpondet ipſius cultoribus multo cum fœnore reddens, quæ accepit, copiamq; exhibens omnium ad vitam neceſſariorum, idq; honeſtè ſine omni dedecore. Idcirco etiam Philemon rectè ait:

Δικαιότατον κτῆμ' ἐστὶν ἀνθρώποις ἀγρός,
Ὧν ἡ φύσις δεῖται γὰρ ἐπιμελῶς φέρει.
Iuſtiſſima poſſeſſio eſt hominibus ager,
Ea enim quibus eget Natura, abundè profert.

Cui conſentit illud Amphidis.

Ὁ πατὴρ γὰρ τοῦ ζῆν ἐστιν ἀνθρώποις ἀγρός,
Πενίαν τε συγκρύπτειν ἐπίσταται μόνος.
Pater viuendi hominibus ager,
Paupertatemq; abſcondere nouit ſolus.

Nec inſcitè à Theognide ager dicitur ἀμαλθείας κέρας copiæ cornu. Et à Menandro ἀρετῆς καὶ βίου ἐλευθέρου διδάσκαλος, h. e. *virtutis & vitæ ingenuæ magiſter.* Quam ob cauſam Cicero in dialogo de ſenectute inquit: Agro benè culto nihil poſſe eſſe melius,
5. nec vſu vberius, nec ſpecie ornatius. 5. Quia agricultura eſt ratio acquirendi victum præ reliquis iuſta, innocens, fraudis expers: nec pendet ab arbitrio hominum felix eius ſucceſſus & prouentus, ſed á ſolo Deo & Natura, omnium rerum matre & nutrice. Vndè Columella agriculturæ reditus vo-
6. cat innocentiſſimos. 6. Quia non tantum corpori prodeſt, quatenus ſanitatẽ illius conſeruat & corroborat, & quæ ei ad nutritionem ſunt neceſſaria, ſuppeditat: ſed etiã animo, quatenus partim ſedulitatis, iuſtitiæ, parſimoniæ, humilitatis αὐταρκείας & ſimilum virtutum eſt magiſtra & officina fidiſſi-

diſſima: partim mater & matrix artium, quæ benè habent, cum terra bene colitur, iacent cum terra neglecta iacet. 7. Quia agricultura ad res bellicas hominem idoneum reddit,ſtrenuumque & fortem efficit: ſiquidem agricolæ ſubſidio & in labore nutriuntur: ſuntque ſolis patientes, negligentes vmbrarum, ignaui deliciarum, paruo contenti, & ad omnis generis labores tolerandos quaſi indurati.Et hoc etiam teſtatur Vegetius,cum ait: Optimus miles ex agro legitur. 8. Quia agricultura hominem variis modis oblectat, eiusq; voluptates nulla impediuntur ſenectute, & ad ſapientis vitam proximè videntur accedere. 9. Quia olim ſanctiſſimi & præſtantiſimi quique viri agriculturæ operam dederunt: Imo Romæ multi ab aratro ad magiſtratus ampliſſimos vocati fuerunt.

7. 8. 9.

At in contrarium partem obiiciuntur hæc argumenta: 1 Quia agricultura eſt opus ſordidum& ſeruile, nulliusq; præceptoris magiſterio eget,teſte Columella & Menandro 2. Quia res eſt infinita,nec vnquam abſolui poteſt: Serendum. n. vt metamus. & metendum, vt ſeramus, abſurdo rei circuitu, vt refert Stobæus ex Fauorino ſerm. *55*. 3. Quia non ratio & labor, ſed res incertiſſimæ, venti & tempeſtates eam moderantur. Hinc fit, vt agricolæ modo ſiccitatem, modo imbres,modo vredinem,modo nubigenē,modo calorē vel frigus intēpeſtiuum metuāt. 4. Quia certum quotānis laborem & ſumptum exigit,incerto tamen euentu. Fundus enim ſæpe mendax eſt, vanaq; ſpe agricolas iactat.Idcirco Zeno Philoſophus Stoicus cum videret familiarē quendā curis

Pro thesi negante argumenta. 1. 2. 3. 4.

& negotiis agri nimis intentum dixit: Niſi tu a-
5. grum perdideris, ipſe te perdet. 5. Quia annona pretium niſi in calamitate fructuum non habet. Vbertatem enim in percipiendis fructibus, conſequitur vilitas in vendendis.
6. 6. Quia voluptas & delectatio, quam agricultura affert, longe minor eſt, quam moleſtia, quæ agricolis eſt deuoranda. Idcircò rectè ait Menander:

Ἔχει τι πικρὸν τῆς γεωργίας γλυκύ.

Habet aliquid amari agricultura dulcedo.

Soluuntur argumenta. Pro ſolutione harum obiectionum in genere reſpondeo committi in iis partim fallaciam petitionis principii: quatenus falſum argumentum ſumitur pro vero: partim fallaciam conſequentis, quatenus indè neceſſariò non poteſt inferri & concludi thema priori oppoſitum.

6 Quæ Patrifamilias in agricultura exercenda ſint obſeruanda in genere?

1. PRimum neceſſe eſt, vt cœli ſub quo viuit & terræ, quam vult excolere, naturam & conditionem naturalem probe cognitam habeat, vt intelligat, quid quæq; regio patiatur & ferat. Non
2. enim quæuis quouis loco feliciter naſcuntur & creſcunt. 3. Vt inſtrumenta ruſtica tempeſtiuè
3. præparet, ac in promptu habeat. 3. Vt tempus idoneum arationis, alternationis, fœcundationis, iterationis, ſationis, meſſis ac triturationis accuratè
4. obſeruet. 4. Vt de curandis vitiis frugum ſit ſolicitus, cuiuſmodi ſunt luxuries, rubigo, carduus ſylueſtris, lappa, tribulus, lolium, &c. Plura ea de re ſi cognoſcere cupis, lege Varronem, Columellam,

mellam, Plinium&alios rei ruſticæ ſcriptores; Et inter poetas Heſiodum lib.2. Operum & dierum, Et Virgilium in Georgicis.

7 *An ars prædatoria ſit medium licitum acquirendi rem familiarem?*

DIſtinguendum eſt inter artem prædatoriam, quæ circa curam beſtiarum, ferarum verſatur; & ab Ariſtotele dicitur ἀγρευτικὴ, & inter illam quę verſatur circa capturam hominum hoſtilium aut barbarorum; & ab eodem Philoſopho nuncupatur πολεμικὴ ἢ λῃστρική. Prior eſt licita, ſi modo is, qui eam exercet, ius habeat in beſtias illas, quas vult capere. Poſterior verò videtur partim licita, partim illicita. Licita eſt quatenus qui capiuntur, ſunt hoſtes publici. Illicita eſt, quatenus homines barbari ſunt innocentes, nihilq; hoſtili animo aduerſus alium ſuſcipiunt & moliuntur. Proindè Ariſtoteles errat, quando lib.1. Polit. cap. 8. inter modos naturales acquirendi rem familiarem numerat πολεμικὴν ἢ λῃστρικήν, præſertim eam, quæ in capiendis hominibus barbaris &agreſtibus occupatur: propterea quod illi naturâ facti ſint ad parendum imperio, nec tamen velint parere: Ideoque bellum aduerſus eos ſuſceptum naturâ iuſtum ſit. Hæc enim ratio principium videtur petere. Ideoq; ad probandum thema inepta eſt.

Quæſtio decidetur per diſtinctionẽ.

Error Ariſtotelis taxatur.

8 *An vita paſtoritia ſit medium legitimum acquirendi rem familiarem?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt 1. Quia vita paſtoritia ab ipſa Naturâ eſt inſtituta & introducta. Ideoq; ab Ariſtotele lib.1.Pol.

Pro theſi affirmatiua.

Ratio. 1.

cap.8.inter modos naturales acquirendi rem familiarem numeratur. 2. Quia verſatur circa ali-
2. mentum,quod ab ipſo generationis initio omnibus viuentibus,in primis verò homini tanquã omnium animantium perfectiſſimo à Naturâ cõceditur.3. Quia indè ab initio mundi ſanctiſſimi
3. Deoq; gratiſſimi homines vitam paſtoritiam ſe-
4. ctati ſunt.4.Quia ante inuentionem pecuniæ veræ diuitiæ hominum conſiſtebant in copia & abundantia pecudum,circa quas vita paſtoritia verſa-
5. tur.5.Quia vita paſtoritia eſt quaſi viua agricultura,teſte Ariſtotele lib.1.Polit.cap.8.cum ait: Paſtores dum pecudes ſectantur locum ob paſcua mutantes ὥσπερ γεωργίαν ζῶσαν γεωργεῖν.

Obiectio. At contra hanc ſententiam obiici poteſt, vitam paſtoritiam eſſe otioſam & ignauam, hominesq; à laboribus & cura rerũ honeſtiſſimarum abſtrahere. Ideoq; etiam ipſum Ariſtotelem in citato loco affirmare: ἀργότατοι νομάδες εἰσίν, pigerrimi ſunt
Gen. 27. illi,qui paſtoritiam vitam ſequuntur. Et apud Ægyptios paſtores in odio fuiſſe, quod, vt quidam volunt, pro otioſiſſimis fuerunt habiti.

Solutio. Reſpondeo vitam paſtoritiam otioſam dici nõ abſolutè, ſed comparatè reſpectu vitæ negotioſæ, quam agricolæ aliiq; ſectantur;non ſecus, ac vita Scholaſtica vulgo otioſa dici ſolet. Neq; illam per ſe eſſe ignauam, hominesq; à laboribus & curâ rerum honeſtiſſimarum abſtrahere: ſed per accidens, nempe culpâ & vitio hominum, qui eam eo modo, quo debebant, non ſectantur. Et hoc teſtari exemplum ſanctorum Patriarcharum, qui curam rerum diuinarum & ad religionem veram pertinentium habuerunt etiam tunc, cum pecora in agris ſecuti ſunt.

9 *An*

9 *An permutatio ſit medium artificiale acquirendi rem familiarem?*

CVm permutatio ſit triplex, vna rei cum rẽ, altera rei cum pecunia, tertia pecuniæ cum pecúnia: Ariſtoteles primã permutationis ſpeciẽ inter modos naturales acquirendi rem familiarẽ numerat. 1. Polit. cap. 9. quatenus propter indigẽtiam inſtituitur, non autem propter lucroſum rei familiaris augmentũ. Rationes ipſius ſunt. 1 Quia à Natura eſt introducta, quatenus illa non eadem omnib. in locis producit, neq; æquali menſura ſua dona hominibus communicat, ſed aliis plura aliis pauciora dat: Ideoq; iubet, vt is qui plura habet, quã opus eſt, cõmunicet & permutet ea cum illo, qui pauciora habet quã neceſſe eſt. 2. Quia naturalis neceſſitas & indigentia hominũ eflagitat eiuſmodi rerum neceſſariarum permutationem. 3. Quia ad defectum Naturæ explendum eſt ordinata & conducibilis. Ac licet nihil à Natura generetur propter permutationem tanquam primũ, proprium & principalẽ finẽ, ſed propter nutritiõnẽ & ſuſtentationẽ vitæ: tamen à natura non eſt alienum res naturales ad permutationem accõmodare tanquam finem ſecundarium & minus principalẽ. Cuiuſq; n. rei eſt duplex vſus per ſe. Vnus proprius & principalis: alter non proprius & minus principalis. v. g. calcei vſus principalis eſt vt muniat pedem: minus principalis, vt cum alia re permutetur. Sic frumenti & vini vſus principalis eſt, vt nutriat hominem: minus principalis, vt cum alia re permutetur. Verum hæc ſententia Ariſtotelis videtur ſimpliciter non eſſe approbanda. Licet enim permutatio rei cum re Naturæ

Sententia Ariſtotelis exponitur vnà cum rationibus.

Sententia Ariſtotelis examinatur.

ſit conſentanea, ab eaq; primam ortus ſui occaſionem acceperit: tamen non video cur inter media artificialia acquirendi rem familiarem cum aliis ſpeciebus permutationis non ſit numeranda. Eſt enim propriè & immediatè arte hominum inuēta. Et ſicut ars cum Naturâ non pugnat, ſed potius eam perficit: ita quoque ea, quæ ab arte ſunt profecta, naturæ non repugnāt, ſi modo inter mediocritatis terminos ſeſe contineāt. Idcircò rectè ait Ariſtoteles lib 7. Polit. cap. vlt. πᾶσα τέχνη καὶ παιδεία τὸ προσλεῖπον βούλεται τῆς φύσεως ἀναπληροῦν. *Omnis ars & diſciplina, id quod Natura deeſt, vult implere.*

10 *An mercatura ſit medium licitum acquirendi rem familiarem?*

Pro theſi negante: Argumenta.

1. PRo theſi negante à nonnullis afferri ſolēt hæc argumenta. 1. Quia mercatura virtuti eſt inimica, hominiq; variam peccandi occaſionem offert & præbet. Et hoc teſtatur etiam Sacra Scriptura Eccleſ. 26. v. 37. Vix eximitur mercator è delicto, neq; iuſtus eſt à peccato caupo. Item cap. 27. 2. Inter compages lapideas pangitur clauus, & inter venditionem atq; emptionem peccatum vltrò
2. citroq; teritur. 2. Quia cum auaritia & iniuſtitia eſt coniuncta. Mercatores enim omnes volunt viliter emere & carè vendere, vt docet Augusti-
3. nus lib. 13. de ciuitate Dei cap. 3. 3. Quia nullum alium finem ſibi propoſitum habet, quā lucrum. Lucrum autem habere non poſſunt mercatores, niſi fraudem fecerint: Fraudem autem ſi fecerint, capiuntur. Eſt enim lucrum eſca Diaboli, & fraus illius laqueus, vt idem Auguſtinus ſuper Pſalmos
4. docet. 4. Quia mercatura inuehit merces damnoſas,

ſas, quæ ſcilicet non ad vitæ neceſſitatem, ſed ad luxum, fucum, mollitiem, pompam, aliasq; corporis voluptates conferunt.

Verum diſtinguendum omninò eſt inter mercaturam per ſe & in ſe conſideratam, & eius abuſum, qui vitio hominum euenit, ſeu vt alii loquũtur, inter mercaturam moderatam & immoderatam. Moderatam vocant, quæ ad ſolum Naturæ defectum explendum dirigitur, & iuſtum lucrum ſibi habet propoſitum. Immoderatam vocant, quæ contra Dei, Naturæ & rectæ rationis præſcriptũ agit, omniaq; ad diuitias per fas & nefas ſine fine & modo coaceruandas dirigit. De priore falſa eſt theſis negatiua: Deus enim hanc ipſe approbat, quatenus in cõmerciis & negociationib. vult adhibendam eſſe iuſtam ſtateram, pondus, menſuram. Neq; hæc vel Naturæ vel rectæ rationis legibus aduerſatur. Imò inchoatiuè quoad cauſam impellentem ab ipſa Naturâ videtur originẽ traxiſſe. Non enim omni in terra omnia abundant: ſed ſæpè multa deſunt neceſſaria & vtilia. Ideoq; opus eſt, vt ea quibus homines indigent ex aliis locis ac regionibus beneficio mercaturæ importentur. De poſteriore autem vera eſt theſis negatiua. *Queſtio deciditur per diſtinctionẽ.*

II *Vtrum liceat rem pluris vendere aut minoris emere quam in ſe valeat:*

PRo theſi negante faciunt hæc argumenta. 1. Quia hoc pugnat cum lege Naturæ, quæ præcipit, vt tales ſimus erga alios, taliaq; iis faciamus, quales alios velimus eſſe erga nos. Iam autem nemo vult rem alienam ſibi pluris vendi, aut rem *Pro theſi negante Argumenta.* 1

Digitized by Google

ſuam minoris emi, quam in ſe valeat. Ergo neq; ipſe aliis rem ſuam pluris vendat, aut alienam minoris emat quam in ſe valeat. 2. Quia eiuſmodi venditio & emptio cum fraude & dolo eſt coniuncta, qui ab omni cõtractus ſpecie abeſſe debet. Idcirco etiam Paulus 1. Theſſ. 4. monet, ne quis fratrem ſuum in negotio fraude circumueniat. 3. Quia aduerſatur iuſtitiæ commutatiuæ, quæ exigit, vt in rerum commutatione rerum æqualitas ita ſeruetur, ne alterutra pars commutantium ab alia iniuſtè & frauduléter circumueniatur, adeoq; vna cum alterius detrimento vel ditescat, vel ad paupertaté redigatur: aut ſalté vna de lucro gloriari; altera de damno conqueri poſſit. Idcirco etiã ſi venditor artis ſuæ imperitus ex ignorantia, vel alio quodam errore rem ſuam minoris æſtimaret, quá deberet, tum vtiq; iuſtitia commutatiua plus ei dandum eſſe dictitat, nempe tantum, quanti res vendita æſtimari ex iuſtitia poteſt. Et hoc ſuo exemplo comprobauit Q. Mutius Scęuola, vt ſcribit Rutilius in eius vita. Is enim cum fundum aliquando empturus pretium legitimum ſibi indicari iuſſiſſet, idq; venditor feciſſet, apertè & ingenuè dixit, ſe pluris fundum æſtimare, addiditq; prætereà centena millia. Interim tamen notandũ eſt, per accidés fieri poſſe, vt eiuſmodi venditio & emptio ſit licita & iuſta, ſi nempe primum res vendenda in vtilitatem ementis, non vendentis cedat, vt ſi fundus meus, quem venditurus ſum, alteri ſit valdè appoſitus & vtilis ad ædificii alicuius extructioné. Deinde ſi plenarius emptoris & venditoris conſenſus interuenerit, ita vt vnus ex libera voluntate velit rem alienam emere, aut

Sententia affirmatiua quatenus ſit vera.

ſuam

Digitized by Google

ſuam minoris vendere, quam in ſe valeat. Vnicuique .n. licitum eſt de ſuo iure remittere, quantũ velit. *Quatenus liceat rem carius vendere, quam empta ſit.* Vtrùm autem liceat rem carius vendere, quàm empta ſit, de eo non immeritò quæritur? Ac videtur ſanè non licere, niſi aliquod temporis inter eiuſmodi venditionem & emptionem interceſſerit. Iniquum enim videtur id, quod hodiè emiſti, ſtatim eodẽ die, aut craſtino carius vendere: præſertim ſi ſit res alimentaria, aut nullo ſit facta vel artificio aliquo, vel opera tranſportationis & tranſuectionis, vel diuturna cõſeruatione illius ad indigentiam & neceſſitatem alterius.

12 *An pecunia neceſſarium medium ſit mercaturæ?*

Pro theſi affirmatiua. Ratio. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt, 1. Quia pecunia eſt menſura rerum omniũ hominum arbitrio inſtituta, legeq; ciuili approbata. 1.
2. Quia pecunia omnis generis merces comparari poſſunt. 3. Quia cum non ſit ita grauis, vt merces, in quaſuis regiones etiam procul diſſitas cõmodè à mercatoribus trãſportari poteſt, ad comparandas res, quibus alii homines indigent. 4. 2. 3. 4.
Quia pecunia ſuccedit in locum indigẽtiæ. Quãdo enim non indigemus ea re, quã alter nobiſcũ cupit permutare, tũ eius loco conferimus pecuniã, vt poſſimus eam rem, qua nos egemus, accipere, & ille viciſſim ſi noſtra re indigeat, poſſit eã ſibi à nobis per pecuniam comparare. Vnde etiam ab Ariſtotele lib. 5. Ethic. ad Nicomach. dicitur ἐγγυητὴς, hoc eſt, *ſponſor & fideiuſſor* in rebus neceſſariis: item ὑπάλλαγμα τῆς χρείας, h. e. *ſubſidium*

5. ſeu potius *commutatio ſubſidiaria indigentiæ*. 5. Quia pecunia conſeruat commercia, ita vt cum per res eiuſdem generis aut etiam diuerſi exoluere aliquid non valeamus, poſſimus id præſtare per pe-
6. cuniam. 6. Quia pecunia eſt inſtrumentum commodum permutandi res inæqualis pretii. Idcircò rectè ab Ariſtotele numiſma dicitur στοιχεῖον καὶ πέρας τῆς ἀλλαγῆς, hoc eſt, *principium & finis commutationis*, ſeu, *vt alii vertunt, primum & vltimum in commutatione.*

13 *An qualibet mercaturæ ſpecies ſit eiuſdem dignitatis cum alia?*

Prothesi negatiua.
Ratio.

STatuitur theſis negatiua. 1 Quia alia eſt liberalior, alia illiberalior & ſordidior. Liberalior eſt
1. quæ magnis ſummis exercetur, hoc eſt, quæ merces ſummarie vendit, & non per minutas menſuras, neq; merces tractat, quibus corpus inquinatur. Sordidior eſt. quæ merces per minutas menſuras vendit, aut ſaltem tales merces tractat, quibus corpus inquinatur. Idcirco etiam Cic. lib. 1. Offic. cum diſputat, vtrum mercatura liberali homine ſit digna, videtur diſtinguere, inter mercaturam ſummariam & minutariam, & illam huic præferre cum ait: Mercatura ſi tenuis, ſordida putanda eſt: ſin copioſa, magna & multa vndiq; portans, multisq; ſine vanitate impertiens, non eſt
2. admodum vituperanda. 2. Quia mercatura, quæ ſine pecuniâ exercetur, magis videtur Naturæ eſ-
3. ſe conſentanea, quam quæ per pecuniam. 3. Quia alia fructuoſior eſt, quam alia, magisq; facit ad ex-
4. plendum Naturæ defectum. 4. Quia vna magis quam alia voluptati corporis vitæq; ſuperbæ ac

pom-

pompoſæ inſeruit. 5. Quia vna ſecurior, & à periculis remotior eſt, quam alia, v.g. domeſtica minus periculoſa, quam externa, & terreſtris minus, quam marina. 6. Quia vna eſt moderata & iuſta, alia immoderata & iniuſta, & quidem vel magis vel minus. 5. 6.

14 *An vlla vſura ſit licita & conceſſa?*

GRauis eſt de hac quæſtione diſceptatio non inter Philoſophos tantum, ſed etiam Theologos. Alii enim ſimpliciter & vniuerſaliter negant vllam vſuram eſſe licitam & conceſſam: alii verò improbata hac ſententia ſtatuunt, quandam vſuram eſſe licitam, quandam illicitam. *Sententia aliorum exponitur.* 1. 2.

Argumenta pro priore ſententia ſunt hæc potiſſimum: 1. Quia Sacra ſcriptura vſuram paſſim prohibet, quemadmodum patet ex teſtimoniis tã Veteris, quam Noui Teſtamenti. *Exod enim 22. v. 25.* expreſſe dicitur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui tecum eſt, non eris ei, ſicut vſurarius, non impones ei vſuram. Lev. 25. v. 37. Non dato pecuniam tuam fratri tuo in vſuram, nec in fœnus dato cibum tuum. Deut. 23. 19. Ne dato in vſuram fratri tuo, vſuram pecuniæ, vſuram cibi, vſuram vllius rei, quæ in vſuram datur. Ierem. 15. v. 10. Et Ezech. 18. v. 8. Et 22. 12. vſura vituperatur. Pſal. 15. v. 5. commendatur is, qui ad vſuram pecuniam non dedit, Nehem. 5. Reprehenduntur illi qui vſuras à fratribus acceperunt. Prov. 28. v. 8 reprehẽditur, qui multiplicat diuitias ſuas vſura & fœnore. Luc. 6. v. 35. Chriſtus iubet mutuũ dare, nihil inde ſperantes.* 2. Quia omne lucrum quod homo non ex ſuo, ſed ex alieno percipit, eſt illicitum; cum ſit inhoneſtum & iniuſtum. Tale autẽ *Argumenta pro priore ſententia.* 1.

Digitized by Google

lucrum eſt vſura. Res enim mutuò data deſinit eſſe dantis, & incipit eſſe ſub dominio accipientis.
3. 3. Quia vſura pugnat cum natura pecuniæ, quæ inuenta fuit duntaxat eo fine, vt eſſet medium permutationis; non autem vt ipſa ex ſe aliam pareret pecuniam. Et propterea etiam Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 10. vſuram, quam vocat τόκον νομίσματος, hoc eſt, partum ſiue fœtum pecuniæ, ex omnibus modis acquirendæ pecuniæ maximè præter naturam eſſe ſtatuit.
4. 4. Quia vſura pugnat cum charitate, miſericordia & beneficentia, erga proximum exercenda.
5. 5. Quia qui vſuram accipit, rapinam facit, teſte Ambroſio in libro de bono mortis.
6. 6. Quia nihil vſuris eſt turpius, nihil crudeliùs, vt ait *Chryſoſtomus ſuper Matth. hom. 6. ſub finem. Vſurarius enim alienas negotiatur miſerias, & lucrum ſuum alterius aduerſitatem facit.*
7. 7. Quia ſimilis eſt pecunia vſurarii morſui aſpidis. Percuſſus enim ab aſpide, quaſi delectatus vadit in ſomnum, & per ſuauitatem ſoporis moritur: quia tunc venenum latenter per omnia membra decurrit. Sic qui ſub vſura accipit, ſub tempore quaſi beneficium ſentit, ſed vſura per omnes facultates ſuas decurrit, & totum cõuertit in debitum, vt idem docet Chryſoſtomus ſuper cap. 5. Matt.
8. 8. Quia fœnerari ſecundum Catonem eſt perinde ac hominẽ occidere.

Argumenta pro poſteriore ſententia.

Argumenta pro poſteriore ſententia ſunt,
1. 1. Quia vſura eſt lucrum, quod vltra ſortẽ ex pacto alicui datur. Tale autem lucrum ſi intra terminos iuſtitiæ ſeſe contineat: neq; vltra quam par eſt extendatur, eſt licitum: quemadmodum contra eſt illicitum, ſi iuſtitiæ & æquitati eſt contrarium.

2. Quia

Digitized by Google

2. Quia vſura quædam oritur ex legitimo contractu, adeoq; legibus & decretis Imperatorum & Principum Chriſtianorum approbatur & conceditur. 3. Quia neq; ipſa Sacra ſcriptura, neq; recta ratio iubet homini non indigenti gratis dare pecuniam mutuam, vel ad faſtum promouendum, vel ad quæſtum exercendum, diuitiaſq; augẽdas: quin potius concedit pro beneficio vno reponatur alterum & ſic fiat mutua quædam compenſatio. 4. Quia ipſa æquitas poſtulat, vt aliqua pars lucri, quod ex mutuæ pecuniæ vſurpatione conquiſitum fuit, redeat ad eum, qui dedit. 5. Quia iniquum eſt omnem mutuæ pecuniæ fructum ab eo ſolo percipi, qui illam accipit, illo qui dedit prætercito, præſertim cum ille ſine periculo pecunia ſua non caruerit. 6. Quia illa vſura eſt licita, quæ proximum non affligit & opprimit, eiusque facultates exhaurit; ſed potius eum iuuat. 7. Quia Natura terræ ſuo exemplo vſuram approbat, quatenus nunquam ſine vſura reddit, quod accepit, licet alias minore, plerunq; maiore cum fœnore. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Quæſtio decidit ur per theoremata.

Cæterum vt veritas huius quæſtionis controuerſæ clarius innoteſcat, obſeruanda ſunt aliquot theoremata. 1. Mutuationem eſſe cõtractum, quo pecunia aut res quælibet transfertur ad alium, vt tandem reddatur. 2. Mutuationem aliam eſſe debitam, aliam indebitam. 3. debitam mutuationem eſſe, ad quam homo iure cum naturali: tum diuino eſt obligatus. Ideoq; ſemper illam oportere gratuitam eſſe. 4. Indebitam mutuationem eſſe, ad quam homo iure nec diuino nec naturali ſimpliciter eſt alligat⁹, ſed in libero hominis ar- 1. 2. 3. 4.

Digitized by Google

bitrio eſt poſita, vt fiat, vel non fiat. In vtraque mutuatione, vt mediũ rectè ſeruetur, id eſt, vt in mutuatione debita rectè intelligatur obligationis neceſſitas; in indebitâ vero percipiatur libertas, probè conſiderandam eſſe conditionem eorum, qui mutuum petunt. Primum enim ſi quis vel extrema ſenectute, vel morborum grauitate prorſus exhauſtus ſit, aut tanta corporis imbecillitate laboret, vt ſuo labore & induſtria victum ſibi acquirere non valeat: vel etiam tam tenuis ſit fortunæ, vt licet omnes intendat neruos, tamen haud poſſit ſe ſuosq; ſuſtentare: huic vt gratis demus, & humanitatis ac beneficentię opus exhibeamus, Dei & Naturæ lex monet. Atq; huc pertinent omnes Sacræ ſcripturæ exhortationes, quibus ad benignitatis & miſericordiæ opera proximo præſtanda homo excitatur. Deinde ſi quis & poſſit & ſedulò ſtudeat proprio labore & artificio ſibi ſuiſque neceſſarium victũ & amictum procurare: atque vrgenti neceſſitate & indigentia mutuo petere cogatur: huic quoq; gratis mutuare ius diuinum & Naturale poſtulant. Atq; huc pertinent illa ſcripturæ loca, in quibus proximi noſtri commoda promouere pro virili iubemur. Sed ſi quis mediocrium facultatum homo pecuniam ab alio mutuam accipiat, vel ad quæſtum ſuum per mercaturam acquirendum, vel ad prędia coemenda, vel ad ædificia ſplendida extruenda, vel ad faſtum & oſtentationem exercendam, huic gratis dare mutuum, neq; lex diuina, neq; naturalis iubet. 6.

6\. Vſuræ vocabulum modo propriè & in genere ſumi pro quolibet lucro, quod præter ſortẽ ex pacto dari ſolitum eſt: modo impropriè & in ſpecie

pro

Digitized by Google

pro lucro iniuſto. 7. In mutuatione debita vſuram 7.
non eſſe licitam: ſed in mutuatione indebita eſſe licitam; ſi modo terminos æquitatis non egrediatur à probo pioq; magiſtratu præſcriptos.

Poſterior ſententia approbatur.

Ex his igitur theorematis patet, non priorem, ſed poſteriorem ſententiam eſſe veram. Reſtat igitur vt ad argumenta pro priore allata breuiter reſpondeamus. In primo committitur fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Nō enim Sacra ſcriptura omnem vſuram ſimpliciter prohibet; ſed tantum illam, quæ eſt iniuſta, hoc eſt, quę in mutuatione debita à proximo paupere, & noſtræ opis indigente exigitur. Et hoc manifeſtè patet non tantum ex loco *Deuteronomii* 23. v. 10. vbi *Moſes* ex mandato Dei dicit: *Extraneo fœneraberis, at fratri tuo* (pauperi, vt eſt Exod. 22.) *non fœneraberis*, ſed ętiā ex cauſa diuinę prohibitionis. Ideò enim vetatur vſura, ne proximus affligatur, & facultates ipſius exhauriantur. Et propterea quando Prophetæ fœnerantibus pœnam diuinam denunciant, id ideo faciunt, quod pauperes afflixerint, & egenos ſuis vſuris exhauſerint. Ideóque loquuntur non de vſurâ iuſtâ ſed iniuſtâ. Neque ipſe Chriſtus Luc. 6. v. 35. abſolutè iubet mutuum dare nihil inde ſperantes; ſed reſpectiuè vt patet ex præcedente verſu 34. vbi ſic inquit: *Si mutuum dederitis iis, à quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia erit vobis? Nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, vt recipiant paria.* Sententia igitur Chriſti eſt, non iis tantum eſſe mutuum dandum, qui par nobis aut maius beneficium aliquando præſtare poſſunt: ſed etiam illis à quibus propter inopiam ſpes nulla eſt mutuum viciſſim ſumendi,

Argumenta pro priore ſententia ſoluuntur.

2. aut vſuram accipiendi. In ſecundo argumento ſimiliter fallacia eſt à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Mutuum, n. alienum eſt non ſimpliciter ſed *ſecundum quid*, nimirum quoad individuum ſeu ſpeciem. Manet enim proprium ſecundum genus ſeu æquiualens. In reliquis argumentis idem vitium continetur. Non enim vera ſunt de vſura ſimpliciter & in genere, ſed tantum de vſura iniuſta, quæ in mutuatione debita exigitur ab iis, à quibus non exigẽda, aut etiam in mutuatione indebita in maiore, quam par eſt, quantitate. Quod autem Ariſtoteles aſſerit, vſuram omnem eſſe contra naturam, propterea quod pecunia non ſit inuenta, vt aliam ex ſe procreet pecuniã, in eo committit fallaciam petitionis principii. Pecunia enim non eſt res naturalis, ſed legibus & conſenſu hominum inſtituta, à quo & eius finis & vſus pendet. Ideoq; vſui pecuniæ minime aduerſatur vſura iuſta. Neq; rectè dicitur ex pecunia mutua procreari alia pecunia: ſed ex vſu eius & prouentu. Gignit enim pecunia pecuniam non naturâ, ſed vſu; non fœnore, ſed prouentu, vt etiam docet acutiſſimus Goclenius diſp. Ethic. diſp. 27.

Reſponſio ad reliqua argumenta.

15 *An cambium ſit legitimus modus acquirendi rem familiarem?*

Theſi affirmatiua argumenta.

PRo theſi affirmante faciunt hæc argumenta. 1. Quia Cambium nihil aliud eſt, quam permutatio pecuniæ cum pecunia. Dicitur enim à verbo Cambire, quod ſignificat *permutare*. Vndè etiam Germanicè dicitur Wechſel. 2. Quia ipſa neceſſitas & indigentia humana eius vſum introdu-

xit

xit: partim ne propter diuerſum monetę in diuerſis locis & regionibus valorem homo cogatur damnum pati: partim vt viatores peregrinam monetam ſecum afferẽtes poſſint beneficio Cambii neceſſaria alimenta & ſubſidia vitæ ſibi comparare: partim vt mercatura in peregrinis locis eo cõmodius & ſecurius poſſit exerceri: partim ne peregrinantes ob pecuniam, quam ſecum portant, in periculum incidant. 3. Quia Oeconomicæ & Reip. vtile eſt cambium.

At pro contraria theſi afferri ſolent hæc argumẽta. 1. Quia Cambium eſt ſpecies numulariæ & vſurariæ artis, quæ naturæ & iuſtitiæ repugnat; ideoq; turpis eſt & illicita. 2. Quia cum fraude multiplici eſt coniunctum. 3. Quia pugnat cum Natura pecuniæ, quæ nullo alio fine primitus fuit inuẽta, niſi vt ſit partim menſura rerum commutãdarum, partim medium & inſtrumentum ipſius cõmutationis adeoq; iuſtitiæ commutatiuæ. Per illud ſiquidem pecunia à fine ſuo naturali & proprio conuertitur ad lucrum & quæſtum. *Pro theſi negatiua argumenta.* 1. 2.

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſt, partim inter cambium in ſe ſpectatum, & eius abuſum: partim inter Cambiũ iuſtũ & iniuſtum. Sæpe.n. id, quod in ſe & per ſe eſt bonũ propter abuſum induit rationẽ mali. Ac licet theſis negatiua de Cambio iniuſto ſit vera; falſa tamen eſt de Cãbio iuſto. Dicitur autem Cambium iuſtum, quod leges iuſtitiæ cõmutatiuæ obſeruat, hoc eſt, quod ab omni fraude eſt remotum, quę in primis in admixtione pecuniæ falſæ, præciſæ, & diminutæ cõſiſtit: adeoq; non niſi lucrum honeſtum & æquum ſibi propoſitum habet. *Quæſtio deciditur per diſtinctionem.*

Digitized by Google

Soluuntur Argumenta pro theſi negantè.

Quod igitur ad argumenta attinet pro theſi negante allata reſpondeo primum in ſe continere falſitatem, quatenus artem numulariam & vſurariam ſimpliciter reiicit, tanquam rem illicitam, turpem & iniuſtam: Alterum verum eſſe de cambio duntaxat iniuſto: tertium falſum eſſe, quatenus vnius rei poſſunt eſſe plures fines, vnus naturalis, proprius & principalis: alter non naturalis, & improprius, & minus principalis: ac velut acceſſorius: quorum tamen vnus non tollit & euerit alterum.

16 *An patrifamilias licitum ſit pecuniam in infinitum appetere & cumulare?*

Sententia aliorum exponitur.

SVnt multi in eâ opinione, Patrisfamilias officium præcipuè in eo conſiſtere, vt quotidiè magis magiſq; pecuniam appetat & cumulet. Ideoq; ipſi etiam de nulla re magis, quam de quærenda & conſeruanda pecunia ſunt ſoliciti.

Cauſa recēſentur.

Cauſam huius rei triplicem potiſſimum Ariſtotel. lib. 1. Polit. cap. 9. affert. Prima eſt cupiditas viuendi, ſed non benè viuendi, quæ eſt in eiuſmodi hominibus. Illa enim cum in infinitum extēdatur, propterea quod omnes cupimus eſſe immortales: hinc fit, vt etiam pecuniam, quam medium præcipuum ad viuendum eſſe arbitrantur, in infinitum appetendam & conquirendam eſſe exiſtiment. Altera cauſa eſt ſtudium voluptatum corporis, in quibus vitam beatam ſitam eſſe autumant. His igitur, quæ paucis non ſunt contentæ, ſed in infinitum extendunt, vt ſemper frui queant, omnem operam ſuam, adeoq; totam vitam in

in quærenda & augenda pecunia conſumunt: quippe quam putant vnicum, aut ſaltem præcipuum eſſe medium explendi voluptates corporis. Tertia cauſa eſt error, quem habent eiuſmodi 3.
circa verum finem ſuorum laborum. Illum enim opinantur eſſe pecuniæ copioſæ poſſeſſionem. Ideoq; ad illam conſequendam omnia ſua ſtudia, omnesq; operas & curas conferunt. Sciunt enim ὅλως πρὸς τὸ τέλος ἅπαντα δεῖν ἀναφέρειν, h.e. *quod ad finẽ omnia referri oporteat.* Verũ vt hæc praua & pernitioſa opinio ex animis hominum penitus euellatur & eradicetur: pro contrariâ ſententiâ obſeruandæ ſunt ſequentes rationes. 1. Quia veræ diui- *Pro theſi negatiua. Ratio.*
tiæ per ſe & ſua natura in multitudine & abundãtia pecuniæ non conſiſtunt: ſed in ſufficientia re- 1.
rum ad vitam degendam neceſſariam, quæ non eſt infinita, ſed finita. Non enim diues eſt, teſte Valerio Maximo lib. 4. cap. 3. *qui multa poſſidet, ſed qui modica deſiderat: Nec pauper eſt*, teſte Seneca, *qui parum habet, ſed qui plus cupit.* Qua de re præclarè diſputat Cicero in Paradoxo vltimo, quo lectorẽ remitto, item Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 8. & 9.
2. Quia immodicum ſtudium acquirendi pecu- 2.
niam à turpiſſimo auaritiæ vitio originem habet, & pugnat non tantum cum Natura, quæ paucis eſt contenta, ſed etiam cum nobiliſſima virtute αὐταρκείᾳ. 3. Quia aduerſatur legi diuinæ, quæ paſ- 3.
ſim id prohibet, præſertim Math. 6. v. 19. & ſeq. Luc. 12. v. 15. & ſeq. 1. ad Timoth. 5. v. 9. & ſeq. 4. 4.
Quia pugnat cum Naturâ pecuniæ eiusq; fine. Non enim hæc primitus inuenta fuit, vt ſine modo & fine appetatur, conquiratur, & poſſideatur: ſed propter neceſſitatem & vſum humanum, vt

partim ſit menſura rerum commutandarum;par-
tim medium & inſtrumentum iuſtitiæ commuta-
tiuæ,adeoq; ipſius commutationis.partim deniq;
inſtrumentũ idoneum Oeconomiæ & Reipubli-
cæ ad comparandas res neceſſarias, adeoq; ipſius
5. felicitatis tam domeſticæ, quam ciuilis. 5. Quia
nullum inſtrumentum debet eſſe infinitum vel
multitudine, vel magnitudine, vt docet Ariſtote-
les lib.1.Polit. c.8.ſub finem. Ergo cum pecunia
ſit inſtrumentum Oeconomicum & politicum,
non debet illud in infinitum cumulari : niſi ra-
6. tionem inſtrumenti velit amittere. 6. Quia ni-
mium ſtudium congerendi & coaceruandi pecu-
niam,nõ tantum animum hominis anxium & in-
quietum reddit curarum & ſolicitudinum ple-
num : ſed etiam illum à pietatis & virtutis alia-
rumque rerum honeſtiſſimarum cura & ſtudio
7. abſtrahit & auertit. 7. Quia pecunia copio-
ſe conquiſita , cumulata & poſſeſſa , ſi vſu legi-
timo deſtituatur, noxia eſt & pernitioſa ipſi poſ-
8. ſeſſori. 8. Quia ſapientiſſimi viri olim pe-
cuniæ multitudinem aut non appetiuerunt, aut
oblatam reiecerunt. Hinc de Curio legimus,
quod magnum auri pondus à Samnitibus ob-
latum accipere noluerit. Et Diogenes , qui in
ſuo dolio calorem potius ſolis,quam aurum opta-
uit,ſcitè admodum eos, qui immenſas opes cu-
mulant,nec illis vti ſciunt,vel audent , *μεγαλοπτώ-
χους*, hoc eſt, *magnificos pauperes appellauit.* Proin-
de Paterfamilias *χρηματιστικὴν* ita exercere debet,
vt in ea modum obſernet à lege naturali, diuinà
& humana præſcriptum ,omnéq; immoderatum
χρηματισμὸν,& per conſequẽs iniuſtum ac illicitum
cane peius & angue fugiat.

7 *An operæ elocatio ſit medium rem familiarem acquirendi homine liberali dignum?*

SVnt nonnulli, qui omnẽ operæ elocationem, *Sententia aliorum exponitur.* quam Ariſtotel. lib. 1. Polit. cap. 11. μισθαρνίαν vocat, ac inter ſpecies permutationis numerat, homine liberali & ingenuo indignam eſſe arbitrantur: *Ratio.* 1. tum quia illiberale ſit operam ſuam mercede elocare; cum merces ipſa ſit auctoramentum ſeruitutis, hoc eſt *obligatio*, qua mercenarius accepta mercede cogitur ſeruire, vt Cicero docet li. 1. Offic. 2. tum quia quæſtus mercenariorum omnium ſint liberales & ſordidi. *Sententia aliorum examinatur.* Sed hæc ſententia ſimpliciter non poteſt concedi. Eſt enim operæ elocatio alia liberalis, alia ſordida. Liberalis eſt, qua quis operam ſuam Reipublicæ in adminiſtrando officio aliquo publico & honeſto, ſiue Eccleſiaſtico ſiue Scholaſtico, ſiue Politico ſub certi ſtipendii ſeu præmii conditione locat. Eaq; cum internis animi & virtutis actionibus potiſſimum perficiatur, liberali homine eſt digna. Sordida eſt, qua opifices artis ſuæ operam aut alii homines opificii ignari miniſteria & labores corporis ſui certa mercede elocant. Eaq; cum externis corporis actionibus potiſſimum perficiatur: idcirco homini liberali non eſt conueniens: eoq; magis quo obiectum illius, circa quod verſatur, magis eſt illiberale ac ſordidum, & ad corpus inquinandum fertur. Et de hac ſola videtur loqui Ariſtoteles in citato loco cum ait: μισθαρνίας ἡ μὲν τῶν βαναύσων τεχνῶν. ἡ δὲ τῶν ἀτέχνων καὶ τῷ σώματι μόνῳ χρησίμων; hoc eſt, *operæ elocatio alia eſt artium ſordidarum, & ille-*

beralium; alia eorum, qui ſunt artis expertes, & cor ri ſolo vtiles. Idcirco etiam hæc ſola vulgò dici *mercenaria*, & diuiditur in artificialem & inarr cialem. Quod igitur ad argumenta attinet ſu rius allatâ, reſpondeo, illa non ſimpliciter eſſe v ra: ſed tantum ſecundum quid, nempe de Μισθαρ ſordida.

18 *An Paterfamilias de domo, præſertim propria acquirenda ſolicitus eſſe debeat: & quæ in ea ædificanda ſpectare?*

Propriore parte Quæſtionis Rationes.

IN prima parte quæſtionis ſtatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia domus inter inſtrumenta domeſtica eſt præcipuum, ad quod reliqua omnia reducuntur & referuntur. 2. Quia eſt habitaculum commodum, in quo tota familia commoratur, vitamq; domeſticam agit. 3. Quia eſt receptaculum idoneum, in quo res familiaris conſeruatur & diſpenſatur. 4. Quia eſt propugnaculum tutum & munitum aduerſus ventum, pluuiam, æſtum & gelu, aliaſq; cœli aliarumq; rerum iniurias. 5. Quia ſine domo nulla Oeconomia eſſe & conſiſtere poteſt, nedum felicitas domeſtica, ad quam tota Oeconomia referri debet, tanquam ad finem vltimum acquiri. 6. Quia nihil miſerius & moleſtius Patrifamilias, quam eſſe ἀοίκον, hoc eſt, *foco & domo* propria carere, & incertis ſedibus cum familia vagari. 7. Quia ſicut in communi Prouerbio οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, *domus chara, dom⁹ optima* dicitur: ita rectè dici poteſt οἶκος ἴδιος οἶκος ἄριστος; *domus propria domus optima*. Quo reſpexerunt Germani dicentes: Eigener Herdt iſt geldes werdt. 8. Quia ipſa Natura domus neceſſitatem

tatem & vtilitatem nobis videtur adumbrare voluiſſe exemplo beſtiarum, quæ ſua quærunt & faciunt latibula & domicilia: in primis verò exemplo teſtudinum, apum & auium.

Porro in ædificandâ domo habenda eſt ratio Patrisfamilias partim hominum inhabitantium; partim facultatum ſeu opum domeſticarum. Pro hominibus enim extruenda eſt domus, quę ſit ſana, commoda & iucunda. Sana domus eſt, quę ſita eſt in domo ſalubri, & ad conuenientes cœli plagas; ita quidem vt præter aeris & aquæ ſalubritatem, æſtiuo quidem tempore, vento præſertim Septentrionali ſit expoſita; partim ad propulſandum nimium æſtum ſolis, partim ad diſſipandum halitus noxios vi calorifica ſolis excitatos: hyberno verò tempore ad ortum & meridiem ſit verſa; vt radios ſolis excipere poſſit, ad temperandam vim frigoris. Commoda domus eſt, quæ aptis & diſtinctis contignationibus & conclauibus conſtat, ita vt pro ratione vſus alia conclauia ſint ſuperiora; alia inferiora, alia ampliora; alia anguſtiora, alia perflabilia, alia inperflabilia. Iucunda domus eſt, in qua homines libenter commorantur ſine tędio & moleſtiâ. Pro facultatibus extruenda eſt domus, quæ apta ſit ad bona & inſtrumẽta domeſtica, partim acquirenda, partim cuſtodienda & cõſeruanda; ne vel à ſitu, putredine, vligine aliiſq; rebus noxiis & damnoſis corrumpantur, aut ſaltem detrimenti aliquid patiantur.

Quæ in ædificanda domo ſpectanda.

19 *An liceat Patrifamilias rem familiarem per luſum & certamen depoſiti pignoris acquirere?*

PRo theſi negante afferri ſolent hæc argumen-

Pro theſi negatiua argumenta. ta. 1. Quia vtrumque illud medium acquirendi rem familiarem eſt fallax, & non tam à prudentiâ, & virtute, quam fortunæ temeritate pendet. 2. Quia homines facit ſuorum bonorum prodigos, & alienorum auidiſſimè cupidos. 3. Quia homines auocat ab ordinariis vocationis ſuæ laboribus, & pretioſiſſimo temporis theſauro ſpoliat. 4. Quia frequenter diſcordiam, litem, odium, inimicitiam, aliaq; mala inter homines, qui eo vtuntur, excitat. 5. Quia in Rebuſpublicis quibuſdam benè conſtitutis vtrumq; illud medium prohibetur, ita vt actio iudiciaria iis, qui illo vtuntur, non concedatur. Sunt tamen nonnulli, qui exiſtimant, tam luſum quam certamen depoſiti pignoris poſſe numerari inter media licita acquirendi rem familiarem: ſi modo inter terminos mediocritatis à rectâ ratione præſcriptos, ſeſe contineant, omniſque abuſus ab iis abſit. Sed hoc Iureconſultis & Theologis accuratius diſceptandum relinquo.

OECO-

Digitized by Google

OECONOMICÆ LIBER II.

In quo de adminiſtratione domus agitur.

CAPUT I.

De generali adminiſtratione familiæ.

PRÆCEPTA.

1 H*Actenus explicata eſt prima pars Oeconomicæ, quæ dicitur domus conſtitutrix. Sequitur eiusdem adminiſtratrix, quæ eſt altera pars Oeconomicæ modum benè adminiſtrandi domum tradens.*

2 *Illa conſiſtit in rectâ adminiſtratione partim familiæ partim rei familiaris.*

3 *Adminiſtratio familiæ alia eſt generalis, alia ſpecialis.*

4 *Generalis eſt, quæ imperio & ſubiectione domeſtica continetur.*

5 *Imperium domeſticum eſt poteſtas, quam Paterfamilias in perſonas domeſticas, ſibi ſubiectas habet.* Imperium domeſticum quid ſit & quotuplex.

6 *Idq; legitimum eſt, cum rectæ rationi & Sacræ Scripturæ eſt conforme.*

Digitized by Google

7 *Eſtque triplex; maritale, paternum & herile.*

8 *Maritale imperium eſt, quod maritus habet in ſuam vxorem.*

9 *Paternum imperium eſt, quod parentes habent in ſuos liberos. Alio nomine dicitur patria poteſtas.*

10 *Herile imperium eſt, quod herus habet in ſuos ſeruos.*

11 *Subiectio domeſtica eſt ius, per quod familia Patrifamilias ad parendum eſt obligata.*

12 *Eſtq; triplex; Vxoria, filialis & ſeruilis.*

13 *Vxoria ſubiectio eſt, qua vxor ſuo marito iure eſt ſubiecta.*

14 *Filialis ſubiectio eſt, qua liberi ſuis parẽtibus ſunt ſubiecti.*

15 *Seruilis ſubiectio eſt, qua ſerui ſuo hero iure ſunt ſubiecti.*

1 *An Paterfamilias iure imperium in ſuos domeſticos obtineat?*

Pro theſi affirmatiua. Rationes.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia Paterfamilias eſt caput familiæ, ab eoq; tota domus tanquam à Monarcha regi debet. Idcircò etiam Ariſtoteles lib. 1. Oecon. cap. 1. regimẽ Oeconomicum vocat *Monarchiam*. Et lib. 1. Polit. cap. 2. aſſerit, totam domum regi ab vno ſeniore, qui eſt Paterfamilias. Nec male à Callicratida Pythagorico in libro de familiarum felicitate, *vt* refert Stobæus ſerm. 83. domus definitur *Syſtema*

ſocie-

Digitized by Google

ſocietatis cognata ex partibus diſſimilibus cõſtans, & ad οἰκοδεσπότην, hoc eſt, Patremfamilias velut vnum quoddam optimum relatum. 2. Quia quod Deus eſt in mundo; Rex in ſuo regno; Magiſtratus in Republica; Dux in exercitu; Nauclerus in naui, id eſt Paterfamilias in ſua domo Ideoq; ſicut illi imperium habeat in res ſibi ſubiectas, ita etiam Paterfamilias in ſuos domeſticos. 3. Quia ſocietas domeſtica non poſſet conſiſtere, niſi in ea vnus ſit ἄρχων; reliqui ἀρχόμενοι. Iam autem nemo eſt in domo, cui nomen ἄρχοντος iure competere poſſit, niſi paterfamilias. Idcirco etiam Græcè dicitur οἰκοδεσπότης *dominus domus*. Et familia definitur cœtus hominum ex vno Patrefamilias aliisq;, qui ſub eiuſdem imperio viuunt, iure cõſociatus. 4. Quia cõmuni omnium gentium ſuffragio Patrifamilias dicitur dominus in ſua domo, & qui eum in ſua propria domo lædit, æquè magnum ſcelus cõmittere putatur, ac ſi Regem in maieſtatis ſuæ throno iniuria afficeret.

2 *An Patrisfamilias imperium ſit diuerſum, & diuerſo modo adminiſtrandum?*

Pro theſi affirmatiua Rationes.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia Perſonæ, quibus præeſt Paterfamilias, non ſunt eiuſdem ſtatus & conditionis, ſed diuerſæ, cuiuſmodi ſunt vxor, liberi & ſerui. 2. Quia ſocietas domeſtica, ex qua familia conſtituitur, non eſt eadem, ſed diuerſa, nempe triplex, paterna, maritalis & herilis, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 12. Idcircò etiam imperium Patrisfamilias eſt triplex, maritale, paternum & herile. 3. Quia non eodem modo imperium exercere de-

Digitized by Google

bet in vxorem, liberos & ſeruos, ſed vt idem Philoſophus docet in citato loco, vxori quidem imperare debet *πολιτικῶς ciuiliter*, hoc eſt, vt Magiſtratus in Ariſtocratia ciuibus; liberis verò *βασιλικῶς regaliter*, hoc eſt, vt Rex ſuis ſubdidis. Et longè aliter vxorem tractare debet, ac ſeruum, vt idem docet 1. Polit. cap. 2.

Obſeruatio. 1. Notandum auté eſt, quod Paterfamilias in ſuo regimine Rempublicam reſpicere debeat, eiusq; formam & modum ad illam referre: tum quia ſocietas domeſtica eſt imago & pars ciuitatis: tũ quia felicitas domeſtica ad ciuilem tanquam finis ſubordinatus ad vltimum dirigi debet. 2. Quod Paterfamilias perfectiorem virtutem, quam alii omnes habere debeat: tum quia prima & præcipua pars eſt domus: tum quia Patrisfamilias eſt præcipere & agere in domo id, quod recta ratio in homines iubet: tum quia bene imperare non poterit, ſuumq; honorem & decus tueri, niſi exemplo virtutis domeſticis omnibus præeat.

3 *An maritus iure imperium habeat in ſuam vxorem?*

Pro theſi affirmatiua. argumenta. STatuitur theſis affirmatiua, eaq; probatur ſequentibus argumentis. 1. Quia maritus eſt Paterfamilias, cui velut capiti reliquæ omnes perſonæ domeſticæ ſunt ſubiectæ. 2. Quia eſt dominus & caput vxoris Eph. 5. v. 21. 22. 1. Cor 11 v. 3. 3. Quia vxor lege diuina marito ſubiecta eſſe iubetur. Geneſ. 3. v. 16. Eph 5. 1. Pet. 3. v. 1. 1. Coloſ. 3. v. 18. Et cõtra marito dominari prohibetur 1. Tim. 2. v. 12. 4. Quia vir non eſt ex muliere, ſed mulier ex viro: neq. vir conditus eſt propter mulieré, ſed mulier

pro-

Digitized by Google

propter virum. Ideoq; velamen in capite geſtare debet in ſignum ſubiectionis. 1. Cor. 11. verſ. 8.9. 5. Quia vir conditus eſt, vt in eius dominio gloria Dei eluceat: fœmina verò, vt in eius ſubiectione viri gloria emineat, 1 Cor. 11. v. 7. 6. Quia teſte Bodino li. 1. de Republi. c. 1. in eo populorum omniũ leges cum diuinis & Naturæ legibus conueniunt, marito ab vxore obſequium debere, nec illius iuſſa, ſi modó cum honeſtate non pugnãt, repudiari ab vxore debere. 7. Quia maritus communicat vxori nomẽ familiã, dignitatẽ, ſtatum & conditionẽ ſuã, non contra vxor marito. Et propterea etiam teſte Bodino omniũ fere populorum cõſenſione ſplendor vxoris à viro velut à ſole pendet. 8 Quia omnium actionum, quæ vxori conceduntur, maritus arbiter eſt, ac prædiis omnibus vxoris ſuæ iure frui poteſt: nec iudicio ſiſti debet vxor ſine auctoritate mariti, aut certè ſine venia Iudicis, qui auctoritatem abſente, aut reſpuente marito obtinet. 9. Quia ſecundum Ariſtotelem lib. 1. Pol. cap. 12. τὸ ἄῤῥεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον. *Mas natura ad imperandum eſt aptior, quam fœmina.*

5.
6.
7.
8.
9

Error aliorũ taxatur.

Proindè errant illi, 1. qui aſſerunt maritum ſeruum, aut filiumfamilias, nullum in vxorem ſuam habere imperium, ſed eſſe vna cum vxore ſub imperio heri aut patris. 2. Qui iudicant filiamfamilias, niſi emancipata ſit à patre, etiamſi deſertâ domo paternâ mariti domicilium ſequatur, non eſſe in mariti, ſed patris poteſtate. 3. Qui vxoribus imperium in maritos concedunt, vt infra probabitur.

1.
2.
3.

4 *An marito rectè olim poteſtas vitæ & necis in vxorem conceſſa fuerit?*

VEteres Romani, vt ſcribit Bodinus lib. 1. de Republica cap. 3 ex lege Romilia vitæ ac necis poteſtatem in vxorem habuerunt. Eãdem poteſtatem poſtea vſurparunt Longobardi & Galli, quemadmodum de his teſtatur Cæſar lib. 6. belli Gallici. Hinc igitur oritur quæſtio propoſita, in
Ratio. qua theſis negatiua vera eſſe ſtatuitur, ob ſequentes rationes. 1. Quia ex vi legis diuinæ nulli priua-
1 tæ perſonæ licitum eſt alium hominem interficere.
2. re. 2. Quia Maritus lege diuina iubetur ſuæ vxori cohabitare ſecundum ſcientiam ſeu prudentiam, & illi, tanquam vaſi inferiori honorem tribuere.
3. 3. Quia maritus & vxor vi ſocietatis coniugalis ſunt quaſi vna caro ſeu vna perſona. Ergo ſicut nemini licitum eſt ſeipſum interficere: ita neque
4. marito vxorem. 4. Quia pugnat cum amore maritali, qui omnium amores & amicitias ſuperare
5. debet, vt Artemidorus ſcripſit. 5. Quia marito cauſam præbet ad iniurias quaslibet ſuæ vxori in-
6. ferendas. 6. Quia imperium marito à Deo conceſſum eſt, non ad deſtruendam, ſed ad conſeruãdam, tuendam & defendendam vitam ac ſalutem ſuæ vxoris.

5 *An parentes iure imperium habeant in liberos?*

Pro theſi affirmatiua argumenta.

STatuitur theſis affirmatiua. Argumenta præcipua ſunt. 1. Quia lex Naturæ vult, vt genera-
1. tum ſit ſubiectum generanti. Et propterea etiam Bodinus lib. 1. de Republica cap. 4. ait imperandi vim ac poteſtatem eſſe à Naturâ nemini tribu-
2. tam, præterquam Patri. 2. Quia imperium paternum eſt imago ac ſimulachrum imperii, quod Deus

Deus præpotens & maximus rerum omnium parens habet in omnes ſuas creaturas: Ergo ſicut Deus iure creationis imperium habet in omnes creaturas: Ita parentes iure procreationis in ſuos liberos. 3. Quia lege diuina iubentur liberi obſequi & parere ſuis parentibus. Coloſſ. 3. v. 20. Eph. 6. v. 1. Exod. 20. v 21. Et hoc non ſolum iuſtum & Deo gratum ab eâ pronunciatur; ſed etiam promiſſionem terrenæ felicitatis & vitæ longæuæ habere dicitur. 4. Quia leges humanæ communi conſenſu præcipiunt, vt liberi parentibus ſuis ſint ſubiecti, debitaq; iis reuerentia & obſequii officia præſtẽt. Et propterea etiam Ariſtoteles 1. Top. 8 *ait; pœna dignos eſſe eos, qui dubitant, vtrum dii & parentes ſint honorandi.* 5. Quia recta diſciplina & inſtitutio liberorum, quâ nihil vtilius & melius in Republicâ excogitari poteſt, pendet à patriâ poteſtate, vt ait Bodinus lib. 1. de Republica cap. 4. 6. Quia lege diuinâ & humanâ grauiſſimæ pœnæ conſtitutæ ſunt iis, qui aduerſus parẽtes ſunt contumaces & iniurioſi. Proinde cum hæc ita ſint, meritò ſuſpecta eſſe debet, ne quid grauius dicam, ſententia eorum, qui ſtatuunt non tantum filium patri vim inferenti reſiſtere, aut illatam iniuriam propulſare iure poſſe: ſed etiam eidem patrem Reipublicæ hoſtem occidere licere.

3.

4.

5.

6.

6 An rectè Patri olim poteſtas vitæ & necis in liberos conceſſa fuerit?

Pro theſi negatiua.

Ratio. 1.

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt. 1. Quia eiuſmodi poteſtas pugnat cum lege Naturæ, quæ vult vt parentes liberorum ex ſe procreatorum curam habeant, eorumq; vitam & ſalutem, quantum in ipſis eſt, tueantur & defendãt.

2. 2. Quia pugnat cum lege diuina, quæ omni priuatæ perſonæ ius occidēdi alium adimit, niſi auctoritas publica Magiſtratus interueniat. 3. Quia pugnat cum naturali amore parentum erga liberos, qui facit, vt parētes nihil in liberos turpiter & iniuſtè moliri; ſed ſalutaria cōſilia pro liberis capere cēſeantur. Vndè etiā fit, vt fraus omnis in negotiis liberorū ſemper à parentum voluntate abeſſe iudicetur. 4. Quia nulli homini licitum eſt in ſua mēbra ſæuire. Liberi autē ſecundum Ariſtotelem ſunt quaſi mēbra parentum cum ex illis ſint geniti. 5 Quia hoc modo patrib. præſertim aſperiorib. & ad crudelitatē propēſis licentia prębetur quoduis aduerſus liberos tentandi, quo iure, quaue iniuria id fiat. Vnde etiā olim licitum erat patri filiū non ſemel, ſed ter vendere. 6. Quia illa poteſtas vitæ & necis cum ſit tyrannica, tandem ab Imperatoribus, præſertim Conſtantino abrogata eſt.

Pro theſi affirmatiua. Ratio. Sed contra hanc ſententiam inſurgit Bodinus lib. 1. de Republica c. 4. dum expreſſè aſſerit, ius vitę & necis in liberos patribus pernitioſo exemplo ademptum reſtitui oportere. 1. Quia cōgruit cum lege diuina qua tributa parētib poteſtas eſt filios erga ſe rebelles lapidibus obruendi, ſine publica Magiſtratus auctoritate. 2. Quia congruit cum lege Naturæ omnium antiquiſſima, qua Perſarum & ſuperioris Aſię populi Hebręi, Romani, Celtę, Indi occidentales, olim vſi ſunt. 3. Quia hoc iure patriæ poteſtatis Romana Reſpublica diutiſſimè ſtetiſſe dicitur, & ab interitu ſæpius ſeruata fuiſſe legitur. Vnde etiam imperium illud domeſticum iudicabatur pietatis, honeſtatis & virtutum omnium, quibus Reſpublica florere debet, firmiſſimū

eſſe

eſſe fundamentum. 4. Quia eiuſmodi ius metum liberorum erga parentes augebat, eosq; magis in officio continebat. *Refutantur*

Cæterum hæ rationes omnes videntur partim *rationes Bo-* petere principium vt priores tres; partim fallacia *dini.* conſequentis laborare, vt poſtrema. Nã 1. falſum 1. eſt, legem vel diuinam vel naturalem patribus tribuiſſe poteſtatem filios rebelles occidendi ſine publica Magiſtratus auctoritate. 2. Falſum eſt, e- 2. iuſmodi poteſtatem, qualem Romani olim ſibi vendicabant, apud Hebræos & alias gentes fuiſſe in vſu. 3. Falſum eſt Romanæ Reipublicæ ſalutem 3. ab illo iure pependiſſe. 4. Etiamſi concederetur, 4. quod ius illud metum liberorum erga parentes auxerit, eosq; magis in officio continuerit: indè, tamen concludi non poteſt, ius illud fuiſſe legitimum, & æquitati naturali ac diuinæ conſentaneum.

7 *An herus iure imperium habeat in ſuos ſeruos?*

Pro theſi af- STatuitur theſis affirmatiua. Argumenta præci- *firmatiua.* pua ſunt 1. Quia lege diuinâ ſerui iubẽtur ſub- *Ratio.* iecti eſſe ſuis heris. Eph. 6. v. 5. Col. 3 ver. 5. 1. Pet. 2. 1. v. 18. 2. Quia lege humana ſerui obligati ſunt ad 2. ſeruiendum ſuis heris. 3. Quia Naturæ conueni- 3. ens eſt, vt herus imperet; ſeruus verò imperata faciat: contra naturam autem eſt ſeruum imperare. 4. Quia Paterfamilias poteſtatem habet 4. vtendi pro ſuo arbitrio inſtrumentis Oeconomicis ad procurandã & conſeruandã rẽ familiarẽ. Cum igitur herus ſit Paterfamilias: & ſerui ſecundũ Ariſtotelẽ ſint inſtrumenta Oeconomica: ſequitur herũ quoq; poteſtatẽ habere vtẽdi ſuis ſer-

Digitized by Google

Limitatio ſuperioris ſententia ſubiicitur. uis ad negotia domeſtica expedienda. Sed hæc theſis eſt intelligenda de iis, qui iure ſunt ſerui; non autem de iis, qui cōtra ius, ſeruitut', vi quadā ſubiiciuntur. Sicut enim ſeruitus alia eſt iuſta, alia iniuſta, ita etiam imperium herile, aliud eſt iuſtum, aliud iniuſtum.

8 An imperium herile à dominico differat?

Sententia aliorum exponitur & refutatur. SVnt quidam præſertim ex Iureconſultis, qui dicunt Patremfamilias imperiū habere aliud in perſonas liberas, aliud in perſonas ſeruituti addictas. Et prius quidem vocat *herile*; ac triplex eſſe ſtatuunt, *coniugale*, *paternum & herile*. Poſterius verò vocant *imperium dominicum*. Secundum horum igitur opinionem herile imperium differt à dominico, quod illud ſit poteſtas, quam paterfamilias habet in perſonas liberas mercede ad famulandum conductas: hoc verò poteſtas, quam Paterfamilias habet in perſonas ſeruituti addictas. Sed nulla firma & ſolida ratio proferri poteſt, cur imperium herile ita ſtrictè & anguſtè ſit ſumendum, vt ſuo ambitu tantum perſonas liberas mercede ad famulandum conductas, non autem perſonas ſeruituti addictas comprehendat. Sicut enim ſocietas domeſtica ſecundum Philoſophos eſt triplex, coniugalis, paterna & herilis neq; plures illius ſpecies dantur: ſic etiam imperium domeſticum tantum eſt triplex, paternum, herile & coniugale. Hinc etiam Scriptura ſacra nomine ſeruorum, quos opponit heris ſeu dominis intelligit omnes homines, qui alteri ſeruitia præſtant, ſiue certa mercede ad id ſint conducti, ſiue non. Interim non negamus herile imperium à dominico

nico differre, 1. quatenus per dominicum imperium tantum intelligitur poteſtas, quam Paterfamilias habet in perſonas ſeruituti addictas. Sic etiam differt ab herili, tanquam ſpecies à genere. 2. quatenus imperium dominicum ita latè ſumitur, vt priuatum & publicum ſub ſe comprehendat. Sic enim imperium herile eſt ſpecies imperii dominici.

Quo reſpectu imperium herile à dominico differat.

9 *An hero rectè olim poteſtas vitæ & necis in ſuos ſeruos fuerit conceſſa?*

Pro theſi negatiua. Ratio.

STatuitur theſis Negatiua. Rationes ſunt. 1. Quia eiuſmodi poteſtas pugnat cum lege diuinâ, quæ non tantum Exod. 20. in genere prohibet homicidium priuatum: ſed etiam cap. 21. pœnam irrogare iubet ei, qui ſeruum ſuum aut ancillam virga percuſſerit, ita vt manu ipſius moriatur. 2. Quia pugnat cum lege ciuili Chriſtianorum Imperatorum Romanorum, quæ prohibet, ne quis ſine cauſsâ legibus cognita in ſeruos ſuos ſupra modum ſæuiat. 3. Quia pugnat cum humanitate, clementia & iuſtitia, quam herus erga ſeruos ſuos exercere debet. 4. Quia licentiæ feneſtram aperit heris improbis & iniuſtis ad male & crudeliter tractandum ſeruos. 5. Quia nihil omnium noſtrũ parenti Naturæ, quæ vna eademq; in libertate generari, & ex eodem fonte profluere genus humanum voluit, magis contrarium eſt, quam alterũ in alterius vitam & fortunas inhumaniter ſæuire. 6. Quia eiuſmodi poteſtas ſeruos ſuos reddit deſperatos, & ad omnis generis ſcelera, quantumuis immania. v. g. homicidia, incendia, proditiones, ſeditiones, audaces & promptos. 7. Quia tyran-

nicum hoc in ſeruos imperium per Chriſtianos Imperatores hero prorſus eſt adēptum: propterea quod impium & iniquum iudicauerunt, hominis ad imaginem Dei creati vitam nefariæ dominorum voluntati ſubiicere. Sed contra hanc ſententiā obiici ſolet, 1. Quia ius ſeruitutis, per quod hero poteſtas vitæ & necis cōceditur in ſeruos, omnium populorum conſenſu eſt cōfirmatum: omnium gentium more & conſuetudine receptū, omnium Rerumpublicarum præclariſſimarum inſtitutis approbatum, deniq; multorum ſapientiſſimorum legiſlatorum, v. g. Lycurgi, Solonis, Numæ Pōpilii ſuffragio ratificatum. Ideoq; neq; Naturæ, neq; æquitati eſſe contrarium: quin potius illum omnium gentium inſtituta & iura violare, qui ius eiuſmodi ſeruitutis reiicit: adeoq; in ſeipſum familiā ſuā & rempublicā eſſe iniurioſum & crudelē. 2 priſtinum ius ſeruitutis in officio continere ſeruos, & ab inobedientiâ, ſuperbiâ, maledicentiâ, contemptu, aliiſq; iniuriis erga Dominum exercendis abſterrere & auertere.

Obiectio. 1. 2.

Reſpondeo in illis obiectionib. committi partim fallaciam petitionis principii, quatenus falſum per falſum probatur, partim fallaciam conſequentis, quatenus ex antecedente non rectè infertur conſequens.

Refutatio obiectionum.

10 An imperium maritale rectè comparetur imperio politico; paternum regio, herile tyrannico?

Sententia aliorum exponitur. Ratio. 1.

ARiſtoteles lib. 1. Polit. c. 8. docet vxori imperādum eſſe πολιτικῶς, liberis βασιλικῶς. Hinc alii imperium maritale compararunt Politico; paternum regio, herile tyrannico. Ratio ipſorum eſt, 1. Quia

1. Quia ſicut imperium Politicum ſpecialiter dictum ſecundum Ariſtotelem eſt inter perſonas liberas & æquales & ad commune tam imperantium quam ſubditorum vtilitatem refertur: Ita etiā imperium maritale eſt inter perſonas liberas & æquales, & ad commune tam mariti, quam vxoris commodum refertur. 2. Quia ſicut Rex prudentiâ & auctoritate ſuperare debet ſuos ſubditos, omniaq; ad ipſorum ſalutem & vtilitatem referre: Ita etiam parentes ſe habere ad liberos debent. 3. Quia ſicut tyrannus omnia facit pro ſuo arbitrio & voluntate, omniaq; ad ſuam ſolius vtilitatem refert: Ita etiam herus ſe habet erga ſeruos. Etſi vero illa comparatio reſpectu maritalis & paterni imperii videtur concedi poſſe: tamen reſpectu herilis imperii in dubio aliquo modo vocari poteſt. Licet enim herus ſuum ipſius commodū potius in regendis ſeruis quam ſeruorum reſpiciat: atq; hoc reſpectu imperium herile proprius ad tyrannicum, quam regium accedat: tamen herus erga ſeruos non ſimpliciter eo modo ſe gerere debet, quo tyrannus erga ſubditos, ſed ipſorum etiam bonum, quantum fieri poteſt promouere.

2. *3.* *Quæſtio ſuperior diiudicatur.*

11 *An vxor marito; liberi parentibus: ſerui ſuo hero in omnibus parere teneantur?*

IN ſuperioribus quæſtionib. probatum eſt maritum habere imperium in vxorem, parētes in liberos, herū in ſuos ſeruos: Ex quo neceſſario ſequitur vxorē marito, liberos parentibus, ſeruos hero ſubiectos eſſe debere. Sed ſicut imperiū illud domeſticum ſiue maritale, ſiue paternum ſiue herile nō eſt abſolutum, ſed lege diuina & humana limitatū, ita vt nō liceat marito parētib. & hero, quid-

Sententia negatiua defenditur.

uis imperare vxori, liberis & ſeruis: ſed tantum quę cum honeſtate & pietate congruunt, ſeu quæ rectæ rationi & Sacrę ſcripturę ſunt conſentanea: Ita etiã ſubiectio domeſtica ſiue vxoria, ſiue filialis, ſiue ſeruilis non eſt abſoluta, ſed lege diuina & humana limitata; ita vt vxori, liberis & ſeruis non liceat parere ſuo marito, parentibus & hero, niſi in iis, quæ Sacræ ſcripturæ & rectæ rationi ſunt conſentanea, ſeu quod idem eſt, pietati & honeſtati non repugnant & aduerſantur. Semper enim illa regula vniuerſalis obſeruanda eſt, quam Petrus Apoſtolus Act. 5. v. 29. præſcribit: πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον, ἢ ἀνθρώποις: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Nec violandum eſt illud generale præceptum practicum: Honeſta & iuſta ſunt facienda: turpia verò & iniuſta fugienda.

12 *An imperium domeſticum ſit concedendum mulieri?*

Pro theſi negatiua Ratio .1

PRo theſi negante valent hæc argumenta. 1. Quia γυναικοκρατία pugnat cum lege diuina, quę
2. præcipit, vt vxor ſit ſubiecta marito. 2. Quia pugnat cum lege Naturæ, quæ vult, vt mares fœminis, non contra imperent. Ideoq; etiam Natura mares meliores & prudentiores, & ſic aptiores ad principatum obtinendum fecit, quam fœminas. 3. Quia, vt Democritus ait, referente Stobæo ſer. 72. ὕβρις ἀνδρὶ ἐσχάτη ὑπὸ γυναικὸς ἄρχεσθαι: hoc eſt, *dedecus viro extremum eſt mulieris imperio ſubiectum eſſe.* Idcirco etiam Clarus Thraciæ Rex Dacos victos ad ignominiam ſempiternam coëgit, vxoribus ſuis ſeruire. Et Eſa. 4. in opprobrium Iudæorum dicitur, quod mulieres fuerint viris dominatæ.

4. Quia

4. Quia muliebre imperium valdè eſt noxium & cauſa multorum malorum, tam publicorum, quā priuatorum, vt hiſtoria & quotidiana experientia teſtatur. 5. Quia vxor imperitās marito, eſt corpus ſine capite, exiguæq; ſit exiſtimationis. Perdit enim auctoritatem mariti, quæ inſtar ſcuti eſſe debet ad tuendum vxoris honorem. 6. Quia ſicut mundus duos ſoles; & regnum vnum duos reges ferre non poteſt: ita neq; domus pari imperandi libidine æſtuantes ſine incendii periculo tolerare poteſt. 7. Quia ſicut contra naturam eſt corpus imperare animæ appetitum ſenſitiuum, rectæ rationi, ignobilius & imperfectius nobiliori & perfectiori: Ita etiam Natura aduerſatur mulierem imperare viro: præſertim cum illa marem ad imperandum aptiorem, quam fœminam fecerit.

4. 5. 6. 7.

At contra pro theſi affirmante afferri poſſunt hæc argumenta. 1. Quia Matrifamilias debetur imperium domeſticum in ſuos liberos, ſeruos & ancillas non tantum abſente, ſeu etiam præſente Patrefamilias. 2. Quia interdum non tantum Materfamilias viribus corporis ſed etiam prudentia & virtute, longe eſt præſtantior Patrefamilias. Cum autem imperium debeatur potiori; obſequium vero deteriori, teſte Ariſtotele lib 3. Polit. cap. 9. & Critone Pythagorico qui referente Stobęo dixit: τὸ ἄρχειν ἴδιον τοῦ κρείσσονος, τὸ δὲ ἄρχεσθαι τοῦ χείρονος. Idcirco in hoc caſu videtur imperium domeſticum potius concedendum Matrifamilias, quam Patrifamilias 3. Quia γυναικοκρατία qua mulieres viris dominantur, non tantum olimà Semiramide in Aſſyriam fuit introducta; ſed etiam ab Ægyptiis, Spartanis & Sauromatis approbata. Idcircò

Pro theſi affirmatiua argumenta. 1. 2. 3.

Digitized by Google

etiam Ægyptii teſte Herodoto dicti fuerunt γυναικοκρατούμενοι: Et viri Spartani vxores, *heras ſuas* appellaruut.

Quæſtio deciditur per diſtinctionē.

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſſe videtur inter γυναικοκρατίαν, quæ erga maritum exercetur, & quæ in liberos, ſeruos & ancillas vſurpatur. Prior non eſt concedenda mulieri, niſi forſan maritus vel propter naturæ vitiū, vel propter defectum prudentiæ & virtutis ad imperandum ſit ineptus, ita vt ipſe opus habeat moderato vxoris regimine. Poſterior verò eſt concedenda mulieri tanquam Matrifamilias; ſi modo imperium ipſius maritali ſit ſubordinatum, nec cum eo pugnet. Notandum autem interim eſt ſcitum illud Plutarchi effatum, quod habetur in præceptis nuptialibus: *Mulieres, quæ ſtultis maritis imperare, quā prudentibus obedire malunt, ſimiles ſunt illis, quæ potius in itinere cœcos ducere volunt, quam peritos & videntes ſequi.*

Obſeruatio.

Capvt II.

De officiis Patrisfamilias erga domeſticos, & vice verſa.

1 *Sic de adminiſtratione familiæ generali: ſequitur ſpecialis, quæ cōſiſtit in mutua debitorum officiorum præſtatione.*

2 *Illa vero officia concernunt, vel totam familiam vel partes eius.*

3 *Quæ totam familiam concernunt, alia pertinent ad Patremfamilias, alia ad domeſticos eius imperio ſubiectos.*

4 *Offi-*

4 *Officia Patrisfamilias conſiſtunt in amore, & cura domeſticorum.* De officiis Patrisfamilias.

5 *Amor poſtulat, vt Paterfamilias erga ſuos domeſticos beneuolum, humanum & manſuetum ſe præbeat.*

6 *Cura exigit, vt Paterfamilias de ſalute ſuorum domeſticorum ſit ſolicitus.*

7 *Eſtq; alia ſuſtentationis, alia diſciplinæ, alia protectionis.*

8 *Cura ſuſtentationis exigit, vt Paterfamilias de victu & amictu aliisq; neceſſariis vitæ ſubſidiis ſuis domeſticis proſpiciat.*

9 *Cura diſciplinæ exigit, vt Paterf. nõ tantum ad virtutem & pietatẽ ſedulo hortetur & aſſuefaciat ſuos domeſticos: ſed etiã bono exemplo ipſis præeat, ſingulisq; vocationis ſuæ munia & labores recte ordinet ac præſcribat.*

10 *Cura protectionis exigit, vt Paterfamil. etiã cõtra oẽs aliorũ iniurias legitimè defendat.*

11 *Officia domeſticorum cõſiſtunt, partim in reuerentia & obedientia, partim in ſedulitate & fidelitate erga Patremfamilias adhibendo.* De officiis domeſticorũ.

12 *Reuerentia exigit, vt domeſtici Patrisfamilias debitum amorem honoremq; præſtent.*

13 *Obedientia exigit, vt imperata libenter & prompto animo audiant & exequantur.*

14 *Sedulitas exigit, vt in fungẽdo ſuo officio, expediẽdisq; negotiis domeſticis omnem curioſi-*

Digitized by Google

tatem & ſocordiam fugiant, omniaq; pro viribus agant.

15 *Fidelitas exigit, vt bona fide ſuum officium faciant, omniaq; ad vtilitatem Patrisfamilias, totiusq; domus dirigant.*

An Paterfamilias omnes ſuos domeſticos amare & curare debeat?

Pro theſi affirmatiua Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1.
Quia Paterfamilias eſt caput familiæ. Capitis
1. autem eſt amare membra ſibi ſubiecta, iisq; ſpiri-
tum animalem, & cum eo vim vitalem commu-
2. nicare. 2. Quia Paterfamilias eſt quaſi princeps &
Rex in ſua domo. Eſt autem Principis & Regis a-
3. mare & curare ſuos ſubditos. 3. Quia Paterfami-
lias eſt quaſi paſtor domeſticus. Paſtoris autē eſt,
4. gregem ſuæ fidei commiſſum amare & curare. 4.
Quia Paterfamilias id eſt in ſua domo quod De-
us in mundo; Dux in exercitu; Nauclerus in naui.
Sed Deus, Dux, & Nauclerus amāt mundum, ex
ercitum & nauim ſuam. Ergo etiam Paterfamilias
5. domeſticos ſuos amare & curare debet. 5. Quia
lex naturalis, diuina & humana præcipit, vt Pater-
familias ſuos domeſticos diligat, deq; ſalute ipſo-
6. rum ſit ſolicitus. 6. Quia officio non ſatisfacit Pa-
terfamilias, qui omnem ſuorum domeſticorum
amorem & curam abiicit, aut ſaltem minorem,
7. quam par eſt, adhibet. 7. Quia neglectus domeſti-
corum non tantum familiæ corruptelam & rui-
nam ſecum trahit, ſed etiam rem familiarem. ad-
eoq; totam domum in periculum & exitium ex-
tremum coniicit. Contra autem domeſticorum
dilectio

dilectio & cura diligens â Patrefamilias adhibita efficit, vt tota domus floreat, ac incrementa feliciter accipiat.

2 *An Paterfamilias bono exemplo omnibus ſuis domeſticis praeire debeat?*

Pro theſi affirmatiua. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia benè imperare non poteſt Paterfamilias, niſi bono exemplo iis, qui in domo ſunt, præeat. 2. Quia ſicut *Regis ad exemplum totus componitur orbis*: ita etiam Patrisfamilias ad exemplum tota domus. Ac ſicut ſubditi tales ſunt, qualis Rex ipſorum eſt: ita etiam domeſtici tales ſunt, qualis eſt Paterfamilias. 3. Quia οὐχ οἷόν τε μὴ καλῶς ὑποδεικνύντος καλῶς μιμεῖσθαι, hoc eſt, *non poſſibile eſt nemine benè praeunte ſeu praemonſtrante, aliquem benè imitari*; ſeu quod idem eſt, *bona imitatio ſine exemplo bono eſſe nequit*, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Oecon. cap. 6. Vndè rectè in vulgato adagio dici ſolet: ὁ καλῶς ἄγων ἐμποιεῖ τὸ καλῶς ἕπεσθαι *Bonus dux, bonum reddit comitem*. Et præclare Bernhardus Epiſt. 72. ait: *Pulcherrimus ordo eſt & ſaluberrimus, vt onus quod portandum imponis, tu portes prior. & ex te diſcas, qualiter oporteat aliis moderari.* 4. Quia ſicut præceptor diſcipulum ſuum eruditum & doctum efficere non poteſt, niſi ipſe ſit eruditus & probus: neq; concionator auditores ſuos pios, niſi ipſe ſit pius; Ita neque Paterfamilias domeſticos ſuos probos efficere poteſt, niſi ipſe ſit probus. 5. Quia vt idem Ariſtoteles docet in citato loco, ἐγείρεσθαι χρὴ πρότερον δεσπότας οἰκετῶν καὶ καθεύδειν ὕστερον, *Excitari è ſomno prius Patrisfamilias, quam domeſticos oportet, & dormire poſterius.* In quam ſententiam etiam Cato ait

1.
2.
3.
4.
5.

lib.4. de re ruſtica: *Boni Patrisfamilias eſt prius ſurgere, poſterius cubitum ire.* 6. Quia turpe eſt & ridiculum, eum qui imperium à Deo & natura habet virtutum actionibus ſuperari ab eo, qui ei parere debet.

Prothesi affirmatiua ratio.

3 *An domeſtici erga Patrẽfamilias ſe reuerentes, obedientes, ſedulos & fideles præſtare debeant?*

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia domeſtici ſunt veluti membra Patrisfamilias, tanquam capiti ſubiecta, Membrorum autẽ eſt caput reuereri, & erga illud ſe obſequioſa &
2. fidelia præſtare. 2. Quia ſunt veluti ſubditi Patrisfamilias, tanquam Principis & Regis imperio
3. ſubiecti. 3. Quia ſunt veluti grex Patrisfamilias, tanquam paſtoris curę commiſſus. Gregis autem eſt amare ſuum paſtorem, eiuſque ductum ob-
4. ſequioſè ſedulò & fideliter ſequi. 4. Quia quo modo creaturæ ad Deum; milites ad ducem ſe habere debent; ita etiam domeſtici ad Patremfamilias. Sed creaturæ reuereri debent Deum; milites ducem, eique fidelitatem, obedientiam & ſedulitatem ſuam probare. Ergo etiam domeſtici Patremfamilias reuereri debent, omniaq; obſequii, diligentiæ & fidelitatis officia ei præſta-
5. re. 5 Quia muneris ſui demandati partes non explent domeſtici, qui Patremfamilias aut contemnunt, aut ſaltem minus quam par eſt reuerentur, eique obtemperant. 6. Quia benè agi-
6. tur cum domo, in qua domeſtici debitam reuerentiam, obedientiam, ſedulitatem & fidelitatem præſtant Patrifamilias: malè autem in qua contrarium fit.

De

Digitized by Google

CAPVT III.

De officiis mutuis coniugum, tum communibus, tum proprii s.

1 *FVerunt officia, quæ totam familiam cõcernũt: ſequũtur officia, quæ partes familiæ attingunt: eaq́ tribus claſſib. continentur.*

2 *Primæ claſſis officia ſunt, quæ maritum & vxorem concernunt. Et propterea vna voce dici poſſunt matrimonialia ſeu coniugalia.* De officiis cõiugum.

3 *Eaq́ vel ſunt communia, vel propria.*

4 *Communia officia ſunt, quæ tam marito, quam vxori ſunt obſeruanda.*

5 *Eaq́ vel ſunt primaria, vel ſecundaria.*

6 *Primaria ſunt 1. ſe mutuo amare & honorare 2. fidem coniugalem inuiolatam ſeruare. 3. concordiam mutuam alere.*

7 *Secundaria ſunt 1. communionem inter ſe habere tam bonorum, quam malorum. 2. vtriuſque næuos & mores patienter tolerare. 3. communem domus curam habere. 4. ſecreta matrimonii non reuelare.*

6 *Propria officia alia ad maritum, alia ad vxorem duntaxat pertinent.*

9 *Officia mariti ſunt partim præeſſe ſuæ vxori cum ratione & prudentia; partim eius curam debitam habere non tantum ſuſtentando, ſed etiam protegendo.*

Digitized by Google

10 *Officia vxoris ſunt partim maritum pro capite & domino ſuo agnoſcere; partim debitam et obſeruantiam & obſequium præſtare: partim adiuuare maritum in adminiſtranda & augenda domo.*

1 *An coniuges ſeſe mutuo amare & honorare debeant?*

Pro theſi affirmatiua. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia amor mutuus eſt quaſi vinculum & glu-
1. tinum matrimonii. Eius enim vi animi cõiugum,
arctiſſimè conglutinãtur, & in vnum conſocian-
2. tur. 2. Quia concordiam inter coniuges conſer-
uat,& ne fides coniugalis vllo modo violetur,im-
3. pedit. 3. Quia quicquid in coniugio occurit ama-
4. toris tollit aut certe lenit. 4. Quia plus felis quam
mellis habet amor coniugalis, niſi ſit mutuus &
reciprocus. Nihil enim eſt moleſtius quam amare
5. & non redamari. 5. Quia vbi non eſt mutuus a-
mor; ibi non eſt amicitia. Amicus enim eſt amico
6. amicus. 6 Quia ſicut lignum vnum, aut planè nõ,
aut difficulter in foco ardet: Ita etiam amor vnius
coniugis ſolus non ardet; ſed paulatim extingui-
tur. Vnde rectè dici ſolet: *Amor ſolus naſci poteſt ſed*
7. *ſolus vt creſcat, fieri non poteſt.* 7. Quia quantò ardẽ-
tius coniuges ſe mutuò diligunt, tantò promptio-
res erunt ad officia beneuolentiæ ſibi mutuò præ-
ſtanda & in fide coniugali ſeruanda conſtantio-
res. Id quod Homerus luculenter in Odyſſea ex-
emplo Vlyſſis & Penelopes comprobauit. Neu-
ter enim coniugum neq; vi rerum aduerſarum,
neq; vllis blanditiis & pollicitis aliorũ, qui amo-

Aristotelis appendice Oeconomica.

rem

rem vtriusq; ambibant, adduci potuit, vt fidem coniugalem violaret: tametſi Atlantis filia Vlyſſi immortalitatem; & Circe ſociorum ſalutem promitteret. Maluit enim honeſte agendo illa promiſſa ſpernere, mortalemq; redire ad vxorem ſuam, quam turpiter agendo fieri immortalem. 8.
Quia coniuges ſunt quaſi vna caro, hoc eſt, vna perſona. Ideoq; ſe mutuo honorare debent per pudoris & reuerentiæ exhibitionem. Debet enim coniugium non tantum amoris; ſed etiam pudoris & reuerentiæ eſſe ſpeculum. Ideoque Agamemnon iure ab Homero vituperatur, quod captiuam mulierculã Chryſeida ſuæ vxori Clytemneſtræ prætulerit. 9. Quia nullus amor conſiſtere poteſt inter coniuges, qui ſe mutuo contemnunt, neque vllam vel reuerentiam ſibi inuicem exhibent, aut verecundiam in verbis & factis adhibent. Quilibet enim honore ſuo debito ſe ſpoliari grauiter ferre ſolet: nec tam gratum eſt nobis aliena tribui, quam moleſtum eſt, ea quæ nobis debentur, adimi, vt tradit Ariſtoteles in appendice lib. 1. Oecon. Cauendum tamen coniugibus, ne in amando & honorando ſeſe mutuo modum excedant. Vterq; enim tam amor quam honor mutuus, ſi ſit nimius & immoderatus, eſt illicitus, & tanquam peſtis Oeconomiæ fugiendus.

Cautela

2 *An coniuges fidem coniugalem inuiolatam ſeruare debeant?*

Pro theſi affirmatiua.

Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1.
Quia lex diuina hoc requiritur. 2. Quia Matrimonii natura hoc requirit, quæ ſalua eſſe non po-

3. teſt, niſi fides coniugalis ſeruetur. 3. Quia numen diuinum negligunt & offendunt fidei nuptialis violatores. Illo enim præſente nuptiarum ſacra contraxerunt, vt docet Ariſtoteles in appendice
4. lib. 1. Oeconomicæ. 4. Quia vt idem Philoſophus ibidem ait: σωφρονούσης γυναικὸς μεγίστη τιμὴ τὸ τὸν ἴδιον ἄνδρα ἰδεῖν τὰ περὶ τὴν αἰδῶ φυλάττοντα ἑαυτῇ. ἄλλην δὲ μηδεμίαν γυναῖκα διὰ φροντίδος ἔχοντα μᾶλλον, ἢ αὐτήν, αὐτὴν δὲ παρὰ τῶν ἄλλων ταύτην καὶ ἰδίαν καὶ πιστὴν ἑαυτῷ νομίζοντα, hoc eſt, *Caſtæ & pudicæ mulieris maximus honor eſt, ſi videat maritum ſuum, ea quæ ad pudorem pertinẽt, ſibi ſeruantem, neq; vllam mulierem magis quam ſeipſam curantem, ſed præ omnibus aliis fœminis ipſam ſibi propriam & fidelem exiſtimantem.* Et ſecundum Dionem in Oeconomicis, *prima virtus uxoris eſt caſti-*
5. *tas.* 5. Quia quo coniuges in fide cõiugali ſeruanda ſunt conſtãtiores, eo ad amandũ ſe mutuo magis
6. magisq; exardeſcunt. 6. Quia nihil magis cõiuges decet quã ὁσία καὶ ἁγιωτάτη συνοίκησις, hoc eſt, ſancta &
Ibidem. caſtiſſima cohabitatio, reſte ibidem Philoſopho.
7. 7. Quia non decet virum prudentem & caſtum ſemen ſuum in quamlibet fœminã proiicere, ne ex malis & improbis liberi legitimis ſimiles naſcantur: & ſic vxor nuptiali præmio priuetur, & liberi iniuria afficiantur, ipſe verò ab his omnibus infamiã patiatur. Idcirco ſubiicit hoc præclarum præceptum Philoſophus: Δεῖ πλησιάσαι τῇ ἀλόχῳ μετὰ σωφροσύνης τε πολλῆς καὶ εὐταξίας, καὶ εἶναι ἐν μὲν τοῖς λόγοις αἰδῶ, ἐν δὲ τοῖς ἔργοις τό τε θεμιτὸν, καὶ τὸ καλὸν ἐν τῇ ὁμιλίᾳ; τὸ πιστόν τε καὶ κόσμιον. *Decet maritum cohabitare uxori cũ temperantia & modeſtia: ac in verbis quidem verecundiam, in factis iuſtitiam & honeſtatem, in conuictu*
8. *fidelitatem ac frugalitatem adhibere.* 8. Quia adulterium eſt turpiſſimum peccatum, quod fugiendum

dum eſt omnibus coniugibus niſi iram diuinam velint aduerſus ſe excitare,& pœnam tam temporalem quã æternam ſibi ſponte accerſere. 9. Quia 9
nulla iniuria ſanctam connubii ſocietatem magis dirimit, quam adulterii non modo deprehenſio, ſed etiam ſuſpicio, vt ait Patricius lib. 4. de Repub. tit. 4.

3 An coniuges mutuam inter ſe concordiam colere debeant, & quomodo? *Pro theſi affirmatiua.*

IN primâ parte quæſtionis ſtatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia nihil eſt melius *Ratio. 1.*
& ſuauius, quam mutua inter maritum & vxorẽ concordia. Et hoc teſtatur Homerus Odyſs. Z. cum ita canit:

Οὐ μὲν γὰρ φισὶ τοῦγε κρεῖσσον, καὶ ἄρειον
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή.

Non enim illo, inquit, praſtantius & melius
Quam quando concordibus animis domum regant
Vir & mulier.

In quam ſententiam etiam Phocylides canit:

Ama vxorem tuam. Quid enim ſuauius & melius
Quam ſi viro conſentit chara vxor vſq; ad ſenectutẽ
Et maritus ſua vxori, neq; inter eos incidat cõtentio.

2. Quia concordia coniugu pia eſt mater & nutrix 2.
veræ amicitiæ, quæ inter ipſos vigere debet. Vbi enim illa eſt, ibi eſt idem velle & nolle: vbi autem idem velle & nolle; ibi vera amicitia. 3. Quia 3.
eſt fulcrum & ſtabilimentum domus, quatenus animus coniugum ad vnitatem ſalutarem redigit, à qua pendet ſalus domus. 4 Quia rem familiarẽ 4.
conſeruat & auget: omnemq; occaſionem tum malignis famulis, tum inimicis præcidit nocendi poſſeſſionib. domeſticis. 5. Quia amicos lętitia; ini- 5.

Digitized by Google

6. micos, triſtitiâ afficit. 6. Quia cum ſocietas dome-
ſtica coniugum ſit quotidiana, nullum maius ma-
lum & tormentum excogitari poteſt, quam illo-
rum diſcordia. Hæc enim eſt peſtis amicitiæ con-
iugalis, genitrix inimicitiæ; ruina domus; tinea rei
familiaris; oblectamentum inimicorum; triſtitia
amicorum, deniq; felicitatis domeſticæ interitus
Media conſeruandæ cõcordiæ inter coniuges. & miſeriæ ortus.

Porro media concordiæ eiuſmodi ineundæ &
conſeruandæ ſunt. 1. ſi coniuges non conſentiant
1. inter ſe in rebus malis & turpibus, & à verecun-
dia alienis; ſed in rebus bonis honeſtis & caſtis. 2. ſi
2. ſe mutuò colant ac reuereantur. 3. ſi maritus co-
3. gnatis & parentibus ſuæ vxoris; & viciſſim vxor
parentibus & cognatis ſui mariti eum honorem
exhibeant, quem ſuis propriis exhibendum puta-
4. rent. 4. ſi communem curam familiæ & rei fami-
5. liaris, adeoq; totius domus gerant. 5. ſi alter al-
terum ſtudio & induſtria omniq; virtutum gene-
re in domus adminiſtratione ſuperare contendat,
6. 6. ſi vtrinque depoſitâ omni ſuperbiâ benignita-
tem & manſuetudinem cum ſedulitate coniun-
7. ctam colant. 7. ſi in rebus tam proſperis, quam
aduerſis alter alteri fideliter adſit.

4 *An coniuges inter ſe communionem tam bonorum, quam malorum habere debeant?*

Pro theſi affirmatiua Ratio.

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1.
Quia coniuges vi ſocietatis & vnionis matri-
monialis ſunt quaſi vna perſona. Ideoq; omnia
inter ſe communia habere debent non tantum
2. bona, ſed etiam mala. 2. Quia ſecundum Græco-
rum

rum prouerbium, τὰ τῶν φίλων κοινά. id eſt, ***amicorum communia ſunt omnia.*** Nulla autem maior & antiquior eſt amicitia, quam ea, quæ eſt inter coniuges. Nam neque parentes, liberos; neq; liberi parentes, neq; liberi inter ſe ita ſeſe amant, ac coniuges probi & fideles ſeſe mutuo. Hinc de Admeto legimus, quod cum hoc muneris ei diuinitus offerretur, vt duplum ætatis ſibi deſtinatæ viueret, ſi quem ſuo loco moriturum exhiberet: parentes quidem quantumuis decrepiti mortem quidem pro ipſo ſubire detrectauerunt: Vxor verò Alceſtis valde adhuc iuuenis prompta fuit ad moriendum pro marito. 3. Quia ad conſeruandã inter coniuges concordiam magnam vim habet, 3.
ſi in rebus tam proſperis quam aduerſis vnus alteri fideliter adſit, & tam læta, quam triſtia, tam dulcia, quàm amara communia habeant. 4. Quia 4.
coniuges non imitari debent hirundines, qui hyberno tempore ingruente frigore auolant, & nidos ſuos relinquunt; æſtiuo verò ſolis calore rugeſcente, redeunt. 5. Quia in coniugio maximum 5.
ſolatium & leuamen indè oritur, ſi maritus vxoris, & vxor mariti aduerſitates doloresq; pro ſuis habeat. 6. Quia vbi communio tam bonorum, 6.
quam malorum abeſt à coniugio; ibi animorum exiſtit diuortium, voluntatum diſſenſio; fortunatum inæqualitas, deniq; ſocietatis coniugalis vinculum diſſoluitur; quod in eo conſiſtit, vt coniuges ſint quaſi vna animã in duobus corporibus habitans, & quaſi vna perſona. 7. Quia, vt ciuitas 7.
ſecundum Platonem beata eſt, in qua voces iſtæ meum & non meũ minimè proferri audiuntur, ita etiam beata domus.

Digitized by Google

5 An coniuges mores & næuos vtriusq; inter ſe patienter tolerare debeant?

Pro theſi affirmatiua. Ratio.

STatuitur theſis affimatiua. Rationes ſunt. 1. Quia eiuſmodi tolerantia eſt verum philtrum,
1. quo coniuges in vero ſui amore retinentur & pro-
2. ficiunt. 2. Quia eſt fomentum & alimentum con-
3. cordiæ coniugalis. 3. Quia eſt calcar & incitamentum ad fidem matrimonialem, & legem tempore nuptiarum, à Deo marito & vxori impoſitam, eò
4. firmius & alacrius ſeruandum. 4. Quia facilè reddit domus adminiſtrationem, eiuſq; curas & labores imminuit & mollit, gratioresq; & iucundio-
5. res efficit. 5. Quia contraria intolerantia amorem & concordiam inter coniuges imminuit, anſam præbet ad fidem coniugalem violandam, totamq; domus gubernationem difficiliorem & moleſtiorem efficit.

Cauendum autem eſt coniugibus, ne in tolerandis moribus & næuis alterutrius aliquid cōmittant & faciant, quod cum honeſtate & pietata pugnet. Idcircò etiam vnus alterum amicè & modeſtè cum debitâ reuerentiâ admonere debet vt praui mores corrigantur. Et hoc etiam docere vult Ariſtoteles in appendice lib. 1. Oeconomicæ, cum inquit: Decet maritum paruis delictis vxoris quantumuis voluntariis veniā dare; ignorantiæ autem peccata admonendo corrigere.

Pro theſi affirmatiua. Ratio.

6 An coniuges communem domus curam habere debeant?

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia hoc exigit finis cōiugii, qui præter ſobolis

lis procreationem & educationẽ eſt mutui auxilii in adminiſtrãda domo præſtatio. 2. Quia ad amorem & concordiam inter coniuges alendum & conſeruandum plurimum momẽti habet, ſi inter ſe curas & labores domeſticos partiantur. 3 Quia regimen domus minus difficile & moleſtum redditur, ſi curæ & operæ ad id obeundum ab vxore ſimul & marito conferantur, 4. Quia inæqualitas curarum [illegible] laborum domeſticorum inter coniuges di[illegible] [illegible]xcitat, magnumq; detrimentum [illegible]omui affert. 2. 3. 4.

In[illegible] im tamen in partiendis curis & laboribus domeſticis excitanda eſt animaduerſio coniugibus, vt habeatur ratio decori & iuſtitiæ diſtributiuæ: ne maritus propriè ea, quæ vxori conueniunt; aut vxor ea, quæ maritum propriè decent, ſuſcipiat & agat. Sunt enim ſecundum Dionem in Oecon alia opera propria viri, alia mulieris, alia vtrique communia; alia viri potius, quam mulieris; alia mulieris potius, quam viri. Hinc Ariſtoteles in appendice lib. 1. Oecon. docet marito potius externa opera, quam interna conuenire: contra verò vxori potius interna, quam externa. Neq; tam virum dedecere eorum, quæ in domo fiunt, aliquid ſuſcipere & agere, quam mulierem, ea, quæ extra domum geruntur curare. Et Hierocles in Oeconomico, citante Stobæo ſerm. 83. rectè ait: *Opera quibus domus adminiſtratur, ita diuidantur, vt viro opera ruſtica, forenſia & ciuilia tribuantur: mulieri verò ea, quæ lanificium & [illegible],* hoc eſt, frumenti apparatum *atinent, omnia deniq; opera domeſtica* Non tamẽ alter ab alterius operib. omninò immunis eſſe debet. Nam & mulierem *Cautela.*

aliquando decebit, vt rus egreſſa operariis præſit, & Patrisfamilias vices gerat. Et contra viro rerum domeſticarum curam habere laudi dabitur, partim ſciſcitãdo, partim ea, quæ fiunt inſpiciendo Sic enim mutua communio magis ſtabilietur, ſi neceſſarias curas inter ſe communicent.

Pro theſi affirmatiua.
Ratio.

7 ***An maritus in benè regendâ & curanda vxore magnam diligentiam adhibere debeat?***

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia vxor eſt quotidiana & indiuidua vitæ ſocia.
2. 2. Quia eſt mater & nutrix ſobolis; quæ talis erit, qualis erit ipſa vxor. Non enim è ſquilla roſa
3. naſcitur aut hyacinthus. 3. Quia ſicut agricola agrum benè excolere debet, vt optimum & ſaluberrimum fructum indè percipiat: Ita maritus ſuam vxorem benè regere & inſtituere debet, vt indè liberos optimos ſuſcipiat, qui pabulum ſint ſenectutis, & vtriuſq; præſidium ac tutela, adeoq;
4. totius domus fulcimẽtum. 4. Quia vxor bona eſt cuſtos & adminiſtratrix domus, virtutis penu, ſolatium in rebus aduerſis, præſidium effœtæ ſe-
5. nectæ. 5. Quia incuria circa regendam vxorem cedit ad magnum contemptum diuini numinis, quo præſente ſacra nuptiarum facta & vxor ducta eſt, & quo audiente omnem curam fidemq;
6. maritus vxori promiſit. 6 Quia à recto vxoris regimine, quod omnium primum eſt, pendet totius domus regimen & ſalus: ſicut contra à prauo vxoris regimine, praua totius domus gubernatio & tandem interitus exiſtit.

Porro media benè regendæ vxoris ſunt, 1. ſi mari-

maritus ſibi ipſe lex ſit, bonoq; exemplo vxori ſuę præeat. Nam, vt Poëta canit. *Media benè regenda vxoris.*

Tunc benè fortis equus reſerato carcere currit,
Si quos præcedat, quosq; ſequatur, habet.

Et nulla re felicius, quam exemplis reguntur mulieres: præſertim cum propter naturalem iudicii infirmitatem ſexus muliebris propriam rationes dextrè intelligere & capere non poſſint. Idcircò etiam Ariſtoteles libr. 1. Oecon. præcipit marito, vt cum vxore ſuâ ita conuerſetur, vt appareat in ipſo temperantia; in dictis, verecundia; in factis, iuſtitia & honeſtas; in conuictu, fidelitas & frugalitas; animus deniq; ad ignoſcendum propenſus.

2. Si ab initio ſtatim matrimonii animum vxoris ſibi conciliet, eamq; totam ſibi propriam & addictam reddat, & ſic ad ſenſum & mores ſuos paulatim aſſuefaciat. Id quod facilius conſequetur, ſi primum virginem à bonis parentibus ortam, & ætate iuuenculam duxerit. Tales enim maritò primum nubentes facilè flecti & inſtitui poſſunt: adeoq; ad diſcendum, reuerendum, amandumq; virum ſunt promptæ, vt docet Callicratides Pythagoricus in libro de familiarum felicitate; referente Stobæo ſerm. 35. Deinde ſi vxorem genere & opibus ſuperiorem non duxerit. Talis enim in maritum plerunq; imperium ſibi ſumere conatur, tantum abeſt, vt eius imperio parere velit, vt idem Callicrat. ibid. 3. Si caueat, ne animi ſui importunitate eum metu vxorem ſuam ad officium faciendum compellere videatur; ſed cum humanitate & verecundia allicere. 4 Si vxoris ſuæ tanquam vaſis infirmioris rationem habeat, eiusque næuos & imbecillitates m[uli]ebres æquo animo

5. ferat, nec illam duriter & iniurioſè tractet. 5. Si etiam vxori in domus adminiſtratione aliquod imperium relinquat, ſuo tamen ſubordinatum.
6. 6. Si non tantum à molli & delicata vita; ſed etiam à nimio corporis veſtitu & ornatu vxorem cohibeat: præſertim cum modeſtia & mentis & veſtis mulierem deceat, & ornatus corporis bonis animi moribus reſpondere debeat.

Prò theſi negatiua.

8 *An liceat marito vxorem ſuam verberare, aut alias duriter aut iniurioſè tractare?*

Ratio.

1. STatuitur theſis Negatiua. Rationes ſunt. 1. Quia lex diuina exigit, vt maritus non ſit Leo in ædibus ſuis, Sirac. 4. nec amarus erga vxorem, Coloſſ. 3. ſed cum ea cohabitet ſecundum conſcientiam, eique tanquam vaſi infirmiori hono-
2. rem tribuat. 1. *Pet.* 3. 2. Quia Natura ſubiecit vxorem marito, non vt ſeruam, ſed vt ſociam vitæ & fortunarum. Ideoque eam non ſeruiliter ſed ciuiliter regere debet, quemadmodum in Ariſtocratia Magiſtratus præeſt ciuibus, vt docet
3. Ariſtotel. lib. 1. Polit. cap. 12. 3. Quia lex communis Pythagoricorum exigit, vt omnis iniuriæ & violentiæ opinio ab ea abſit, quæ ſupplicis inſtar eſt, & tanquam à foco paterno ad ædes noſtras deducta, vt citatur ab Ariſtotel. lib. 1. Oecon. cap. 4.
4. 4. Quia iniuria & contumelia vxori illata redundat in ipſum maritum: cum ambo ſint vna quaſi
5. caro 5. Quia vt Poeta canit,

——— *Nullum memorabile nomen*
Fœminea in pugna eſt, nec habet victoria laudem.

Imò verberare vxorem ignominia vltima eſt.

6. Quia

Digitized by Google

6. Quia ſicut prudẽs pater non verberibus ſtatim pueros caſtigat inhumaniter, ſi leuiter peccent, ſed verbis potius eos à vitiis amicè dehortatur: cum virtutes in eos nondum perfectè cadere ſciat: Sic maritus quoq;, qui nouit morales virtutes mulieri ita perfectè ineſſe non poſſe vt viro, condonabit aliquid fragilitati huius ſexus, & næuos ab imbecillitate humana profectos prudenter tolerabit, peccatiſque leuioribus vxoris ignoſcet; etiam ſi interdum voluntaria fuerint: de aliis autem per ignorantiam factis peccatis placidè vxorem commonefaciet. 7. Quia maritus debet imitari partim medicos, qui leuioribus morbis non continuò fortia media præſcribunt; ſed paulatim leuiter purgãdo vitioſos humores, aliaque mala extrahunt; interdum etiam Naturæ & tempori permittunt: partim Chirurgos peritos, qui non ad omnia vulnera cauterium adhibẽt, ſed emplaſmatis ea curare ſtudent. 8. Quia amica & grauis admonitio mariti plus põderis habet apud mulierem, quam pugnę & verbera. Idcirco etiam veteres in Nuptiis Mercurium iuxta Venerẽ collocarunt, vt oſtenderent Matrimonii vnitatẽ maxime oratione egere: Idem Suadam & Gratias, vt docerent coniuges inuicem, quæ vellent impetrare debere perſuadendo, nõ pugnando. 9. Quia dura illa & iniurioſa tractatio vxoris omnibus ſeculis diſplicuit viris prudentibus. Idcirco M. Aurelius rectè inquit: *Vxor admonenda perſæpè, reprehendenda raro, violentis manibus tractanda nunquam.* Et Varro in Satyra Menippea dicit: *Vitium vxoris aut tollendum aut ferendum eſt: qui tollit vitiũ, vxorem commodiorem præſtat, qui fert, ſeipſum efficit*

meliorem. Idem innuere voluit ſapiés Rex Alphõſus. Is enim cum interrogaretur, quomodo pacificè in coniugio vir & vxor viuere poſſent, reſpondit: *ſi vir ſit cæcus, & vxor muta.*

Pro priore parte quæſtionis.

9 Virum maritus vxorem; an contra vxor maritum alere & ſuſtentare debeat?

Ratio.

Statuitur prior pars quęſtionis, poſterior negatur. Rationes ſunt.
1. 1. Quia Paterfamilias eſt maritus, cuius officium eſt omnibus ſuis domeſticis deuictu & amictu proſpicere.
2. 2. Quia maritus eſt caput ſuæ vxoris. Ideoq; corporis ſui curam agere tenetur.
3. 3. Quia marito lege diuina iniunctum eſt, vt laboret, & per laborem victum ſibi ſuisq; acquirat,
4. 4 Quia coniugium vix poteſt eſſe felix, in quo maritus ex mulieris quadra viuit, neque ipſe cupit ſuis laboribus ſibi ſuisq; neceſſaria vitæ ſubſidia comparare.

Inſtitutum aliorum improbatur.

Proinde non probari poteſt inſtitutum eorum, qui vxores opulentas ducunt & quærunt eo fine, vt ex illarum bonis victitent, neque opus habeāt grauem ac moleſtam rei alimentariæ curam ſuſcipere. Neque tamen etiam laudari poteſt quarundam mulierum propoſitum, qui omnem victus comparandi curam à ſe in maritum transferunt, neq; quicquam ſuâ operâ & labore illum eà in re iuuare volunt.

Pro theſi affirmatiua

10 An maritus debeat vxorem ſuam aduerſus iniurias aliorum defendere?

Ratio. 1.

Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia natura ſexum virilem fecit robuſtiorem; mulierem, imbecilliorem, vt hic ad cuſtodiendum

dum res propter timorem, ille propter fortitudinem ad propagandum magis ſit idoneus. Ariſt. 1. Oecon. 3. 2. Quia lex naturalis, diuina & humana præcipit, vt maritus vxoris defenſionem ſuſcipiat. 3. Quia iniuria vxorum redundat ad ipſos maritos, ita vt dum vxor afficitur iniuria, non poſſit non affici maritus. 4. Quia turpe & iniuſtum eſt, à marito non defendi eam, quæ à foco paterno ad ædes ipſius deducta eſt propriâque familiâ relictâ in mariti ſtirpem nomenq; conceſſit. 5. Quia turpe eſt agricolam defendere agrum ſuum aduerſus vim hoſtium, & mori præliando malle, quam illius vaſtitatem perpeti; idque tantum victus, quo corpus nutriatur gratia: maritum autem pro vxore ſuâ pugnare nolle, ex qua immortalia germina, fructusq; ſempiternos, nempe liberos percipit: præſertim cum eiuſmodi pugna & mors præ aliis ſit honeſta, & glorioſa. Ariſtotel. Oecon. 1. in appẽdice. 6. Quia turpe eſt beſtias pro cõpare ſua ad mortẽ vſq; dimicare, maritum autẽ nolle vxorem ſuam defendere. 7. Quia in Deum peccat, qui vxorem negligit, cui fidem in eius cõſpectu, tempore nuptiarum promiſit. 8. Quia propterea maritus dicitur caput, dominus & tutor ſuæ vxoris, vt res ipſius curet, easq; aduerſus aliorum iniurias defendat. 9. Quia vxor marito eſt vitæ, omniumque fortunarum ſocia, & quaſi vna cum ipſo caro. Ideoq; ſicut iure naturali maritus ſeipſum & vitam ſuam defendere debet; ita etiam vxorem ſuam. Vnde rectè Ouidius,

——— Non turpe marito
Aſpera pro caro bella tuliſſe toro.

Cauendum tamen ei eſt, ne in defendenda vxore *Cautela*

aliquid committat, quod honeſtati, pietati & iuſtitiæ videatur repugnare.

thesi ne- tiua. tio.

II *An maritus ſuæ vxori omnia arcana concedere debeat?*

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt. 1.
1. Quia mulieres naturali quadam ſexus ſui propenſione ſunt loquaces & garrulæ. Ac licet vna atq; altera reperiatur, quæ ſit taciturna, & arcana ſuæ fidei commiſſa contineat: tamen mille aliæ reperiuntur, quæ plenæ rimarum hac atq; illac perfluunt: ita vt facilius aquam perforato dolio ſeruares, quam iis arcana tutò committere au-
2. deres. 2. Quia ſunt quædam arcana, quæ ſine leuitatis inſignis nota, ac ſine magno ac euidenti periculo non poſſunt vxori communicari, cuiuſmodi ſunt ea, quæ ſalutem publicam concernunt, & patefacta vel multa bona impediunt,
3. vel multa, eaq; ingentia mala pariunt. 3. Quia cũ rationis infirmitas affectum deſiderii frenare nõ poſſit: hanc verò prohibitio ſecretorum manifeſtandorum augeat: idcircò diutius illum intra ſeſe occultare nequeunt; ſed ex abundantia cordis ore effutiunt, quicquid abſconditum habent. Idcircò etiam quidam præcipiunt marito, ſi quid forſitan arduum vxori ſuæ reuelauerit, ne prohibeat, quo minus illud alteri dicat: cum prohibitio ei calcar ſit ad proloquendum: eius verò intermiſſio, ob cõceſſam libertatem, deſiderium illius non ita intendat, Nam vt Poeta canit:

Nitimur in vetitum ſemper cupimusq; negata.

4. 4. Quia mulieres ad diuulganda arcana ſibi concredita, variis cauſis impelli ſolent, nimirum vel

vel laudis & gratiæ apud alios aucupio, vel ex vi beneuolentiæ & amore erga alios, vel ex ira aut odio, quo offenſæ perſequuntur eum, qui antea arcana iis dixit. Proinde maritus ſuæ vxori omnia arcana concredere non debet.

12 *An maritus debeat eſſe Zelotypus?*

Pro theſi negatiua argumenta.

PRo theſi negante videntur facere hæc argumenta. 1. Quia zelotypia ſecundum Chryſippum eſt ægritudo animi ex eo proueniens, quod timeas ne adſit alteri, quod cum nemine velis habere commune: ſeu eſt, ſecundum Thomam, ægritudo animi, orta ex amore non patiente cõſortium in re amata. Talis autem ægritudo animi virum bonum dedecet. E. etiam maritum, ſi velit eſſe vir bonus. 2. Quia mater & nutrix zelotypiæ eſt diffidentia & ſuſpicio orta ex ſiniſtro viri iudicio. Eiuſmodi autem diffidentia & ſuſpicio indigna eſt viro bono, & Ilias malorum ſemper eſt habita. Ergo neq; in maritum cadere debet. 3. Quia zelotypia honeſtæ matronæ non tãtum eſt dolorifica & moleſta, ſed etiam iniurioſa.

Pro theſi affirmatiua. Ratio.

At contra pro theſi affirmante adduci poſſunt hæc argumenta. 1. Quia zelotypus dicitur, qui ita amat, vt ſit ſollicitus, ne quis amore ſuo perfruatur. Talis autem debet eſſe maritus. 2. Quia zelotypia Deo ipſi paſſim in ſcriptura tribuitur, præſertim in præcepto ſecundo Decalogi, vbi dicitur fortis zelotes. 3. Quia fatuus eſſet & inhoneſtus maritus, qui alios etiam in ſocietatem amoris ſciens & volens admitteret, & ſic vxori ſuæ anſam ad ſcortandum & adulterandum præberet.

…æſtio de-… itur per … ſtinctionẽ.

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſſe videtur in Zelotypiam moderatam & immoderatam, ſeu quod idem eſt, inter honeſtam & turpem iuſtam & iniuſtam Zelotypiam. Illa eſt, quæ mediocritatem virtuti propoſitam, & à rectâ ratione præſcriptam obſeruat, ponderatis & examinatis omnibus circumſtantiis, præſertim obiecto & cauſa ſiue impulſiua, ſiue finali. Hæc eſt, quæ à mediocritate eiuſmodi laudabili, vel ad exceſſum, vel ad defectum declinat. Prior marito eſt conceſſa: poſterior autem non. Et de hac intelligi debent dicta ſapientum, quando zelotypiam dicunt eſſe perturbationem truculentiſſimam: ita vt præſtaret potius mori, quam ſub huius tyrannide viuere: nec eâ vllum eſſe tormentum grauius ſiue apud viros, ſiue apud fœminas. Item cum eam vocant modò calamitatem rem vxoriam maximè vexantem, & prudentem aſſiduo metu & continua ſuſpicionum recurſatione animum territantem: modò ſolicitudinem multarum in ſe diſcordiarum ſemina habentem ex diffidentiâ & ſuſpicione ortam: modo animi morbum proxime ad inſaniam accedentem: modo riualitatem, propterea quod eiuſmodi affectus, niſi riualis timeatur, non exiſtat: modò obtrectationem, eò quod is, qui tali zelotypia ducitur, vxoris dicta & facta in deteriorem partem rapiat ac interpretetur.

13 ***An vxor maritum pro capite & domino ſuo agnoſcere debeat, eiq; debitam obſeruantiam & obſequium præſtare?***

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt.

1. Quia

Digitized by Google

1. Quia lex naturalis diuina & humana id exigit. *Protheſis affirmatiua*
2. Quia maritus ſupremi dominatoris Dei imagi- *Ratio.*
nem & ſimilitudinem refert, quatenus imperium 1.
in vxorem exercet. 3. Quia vxor non liberorum 2.
tantum pariendorum gratia facta, ſed vt vir impe- 3.
rii ſui excellentiam in ea, tanquam in reliquis ani-
mantibus præſtantiore exerceret. 4. Quia tem- 4.
pore nuptiarum cum ſocietas coniugalis fuit ini-
ta, in conſpectu Dei fidem dedit, quod marito
velit in omnibus rebus honeſtis parere. 5. Quia 5.
vt appetitus ſenſitiuus ſe habet ad rectam ratio-
nem: ita vxor ad maritum: ſed appetitus ſenſiti-
uus ex lege Naturæ debet ſubiectus eſſe rectæ ra-
tioni. Ergo etiã vxor marito. 6. Quia γυναικοκρατία, 6.
qua vxor marito præſertim prudentior, cónatur
imperare, legi naturæ, diuinæ & humanæ eſt ad-
uerſa, vt liquet ex Quæſt. 12. cap. 1. lib. 2. Oecono-
micæ. 7. Quia coniugium, in quo vxor maritum 7.
aſpernatur, eiq; obſequi detrectat, eſt calamito-
ſum & infelix, plenumq; diſſidiarum & conten-
tionum, quibus totius domus regimen & ſalus
labefactatur ac conuellitur. 8. Quia ſicut Luna à 8.
ſole omnem lucem accipit: ita etiam vxor à mari-
to. Ideoque eum reuereri & magnifacere debet.
9. Quia exempla honeſtiſſimarum matronarum, 9
quæ paſſim in hiſtoria tam ſacra, quã profana ex-
tant, teſtantur illam ſubiectionem, quæ mari-
to ab vxore debetur. Hinc præclarè Martialis:

Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito:
Non aliter fiunt fœmina virq; pares.

Et Euripides in Andromache: ἀγαθῆς γυναικὸς ἐςὶν, ὦ Νικοστράτη, μὴ κρεῖττον' εἶναι ἀνδρὸς, ἀλλ' ὑπήκοον. *Boni vxoris eſt, ô Nicoſtrate, non imperare viro, ſed obedire.*

20. 10. Quia peſſimè agitur in illa familia, in qua fœminæ dominantur, viri autem parent, vt ait Patricius lib. 4. de Repub. tit. 5.

Pro theſi affirmatiua.

14 *An vxor mariti ſui mores & næuos, etiam difficiles æquo animo tolerare debeat?*

Ratio.

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia eiuſmodi patientia ad amorem & concordiam coniugalem conſeruandam, maximè eſt
2. conducibilis. 2. Quia quo maior erit vxoris in toleranda moroſitate & difficultate viri patientia, eò maiorem ab eo gratiam inibit, vbi abiecta perturbatione ad ſanitatem mentis redierit, & virtutem ſuæ vxoris perſpexerit. 3. Quia ſicut Nautæ
3. tempeſtatibus & fluctibus procelloſis non reniteuntur, ſed ad vada tendunt patientiæ anchoram in tuto figentes, donec æſtus maris prætereat, & ſæuire Neptunus, flare Æolus, ac fulminare Iupiter deſinat: Ita etiam vxor affectibus & moribus importunis & aſperis reniti non de-
4. bet, ſed iis prudenter cedere. 4. Quia vt puluerem tormentarium lac extinguit: ita ſilentium
5. fœminæ iracundiam viri ſedat. 5. Quia felix iudicatur illud coniugium, in quo vxor opportuno tempore eſt cæca, ſurda & muta, hoc eſt, neque videt, neq; audit omnia, quæ à marito iracun-
6. do, difficili & moroſo in domo fiunt, neque ad omnia reſpondet. 6. Quia vt ſol ſuis radiis luculentis nebulas & nubeculas diſſipat, aërem que turbulentum efficit ſerenum: Sic vxor patientiâ ſuâ cum humanitate & comitate temperata iracundiam, moroſitatem & difficultatem mariti diſiicit ac propulſat. Idcircò Ariſtote-

ſtoteles lib. 1. Oeconom. in eius appendice rectè & prudenter ad eiuſmodi patientiam & humanitatem vxorem hortatur his verbis: *Mulier benè inſtituta exiſtimabit mariti mores ſibi eſſe exemplar vitæ ſuæ, & legem per nuptiarum coniugationem & communionem à Deo iuſtè impoſitam.* Si enim ſibi perſuaſerit illos æquo animo eſſe tolerandos, etiam ea, quæ ad domum pertinent, facilimè adminiſtrabit: Sin verò non, difficilius. Idcirco conueniens fuerit, non ſolum illam in rebus ſecundis mariti ſeſe erga illum concordem & obedientem præbere; ſed etiam in rebus aduerſis: Et ſi rerum neceſſariarum penuria aderit, aut corporis infirmitas, aut vehementior animi perturbatio, humaniter ea ferre & cedere marito, ſi non turpe aliquid aut indignum fuerit. Si verò ex affectu vir aliquid delinquit, eius non meminiſſe, ſed aut morbo, aut ignorantiæ aſcribere. Quo enim accuratius tunc obſequetur marito, eò maiorem ipſi gratiam habebit, vbi à morbo liberatus fuerit. Si verò ipſi turpè aliquid mandanti non obtemperauerit, ipſi poſtea melius id eſſe, cognoſcet, vbi ad ſanam mentem redierit. Decet igitur vxorem hæc obſeruantem multò magis præbere ſeipſam morigeram, quam ſi fortè empta in domum veniſſet. Empta enim eſt magno pretio, nempe vitæ ſocietate, & liberorum procreatione, quibus rebus nec maius, neq; ſanctius quicquam eſſe poteſt. Hactenus Ariſtoteles. Idē innuit Plutarchus in præceptis nuptialibus, cum ait: *Mulieres prudentes, cum irati mariti clamant, ſilere; cum verò illi ſilent, eos alloqui & conſolando mitigare debent.*

15 An uxor precari pro marito debeat, ne quid ei aduerſi accidat: & ſi quid aduerſi eueniat, planè eadem eſſe erga illum, quæ fuit in rebus ſecundis?

Pro theſi affirmatiua.
Ratio.

1 STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia maritus eſt princeps totius familiæ, à cuius ſalute ommium domeſticorum ſalus pendet.
2. 2. Quia eſt fundamentum domus, quo ſtante ſtat ipſa domus, & quo inclinante & collabaſcente ipſa domus ad ruinam vergit.
3. 3. Quia quod in naui eſt gubernator; in curru auriga, in choro coryphæus; in ciuitate lex; in exercitu dux; id Paterfamilias eſt in domo. Sicut autem benè ſeſe habet nauis, currus, chorus, ciuitas & exercitus præſente & vigente gubernatore, auriga, coryphæo, lege & duce; malè verò abſente vel languente: Ita etiam domus benè ſeſe habet, præſente & vigente Pa-
4. trefamilias; malè vero abſente & languente. 4. Quia quod ſol eſt in mundo, id eſt maritus ſeu Paterfamilias in domo. Sicut autem ſol oriens & præſens radiis ſuis mundum illuminat, omniaq; diſcuſſis tenebris & nebulis fouet, lætificat & cõſeruat: occidens verò & abſens tenebras ſecum trahit, quibus omnia inuoluuntur & contriſtantur: Ita etiam maritus ſeu Paterfamilias, quamdiu præſens eſt, vigetq. & floret, totam domum ſuſtẽtat, fouet, protegit & exhilarat; vbi autem abeſt, aut ſaltem malè ſeſe habet, totam domum triſti-
5. tia & penuria inuadit. 5 Quia quod caput eſt in corpore humano, id eſt Paterfamilias in domo. Sicut autem vigente capite totum corpus viget, & languente languet: Ita Patrefamilias vigente, tota domus viget, & languente languet. Imò ſicut cor-

corpus humanum reuulſo ab eo capite nihil niſi truncus iners eſt & inutilis, omnis vigoris vitalis expers. Ita etiam domus Patrefamilias, & vxor marito deſtituta langueſcit & tabeſcit præ luctu & mœrore motuq; & progreſſu felici priuatur. 6. Quia honeſta & proba vxor non tantum marito in rebus ſecundis adeſſe debet, omniaq; beneuolentiæ & humanitatis officia & obſequia ei præſtare, ſed vel maximè in rebus aduerſis, vt partim amica ſua conuerſatione malorum leuamen & ſolatium illi afferat, partim omnem contemptus ſuſpicionem, quæ in homines calamitoſos facilimè cadit, ei præcidat & adimat: partim etiam ſuæ virtutis laudem & gloriam tum apud ipſum maritum, tum apud alios conſequatur. Et hoc eſt, quod idem Ariſtoteles grauiſſimè monet, cum iis, quę ſub finem præcedentis capitis ex ipſo citaui, hæc verba ſubiicit: *Deinde vero ſi conuerſata fuit cum viro in rebus proſperis, nõ ſane virtus ipſius in tantum laudis & gloriæ proceſſit. Non enim parum eſt, rebus ſecundis benè vti: ſed contrarium æquo animo ferre multo eſt maius. In magnis enim calamitatibus & iniuriis nihil abiectè facere eſt animi omnino excelſi. Optandum ſane nihil vnquam tale circa virum contingere. Si verò aduerſitas aliqua ipſum comprehenderit, exiſtimare debet vxor, inde ſibi præclare ſe gerendi plus laudis oriturum, & cogitare apud ſeipſam, quod neque Alceſtis tantam gloriam ſibi comparaſſet, neq; Penelope tantis laudibus digna fuiſſet habita, ſi cum marito fortunato vtraq; vixiſſet. Sed res Admeti & Vlyſſis aduerſæ, ſempiternam memoriam illis conciliârunt. Dum enim in virorum ſuorum aduerſitatibus fidem & iuſtitiam ſeruarunt inuiolatam, gloriam meritò aſſe-*

Digitized by Google

cuta ſunt. Rerum enim ſecundarum ſocias facile eſt inuenire: Res autem aduerſas mulieres præter pauciſſimas & optimas, participare non volunt. Quas ob cauſas decet vnamquamque mulierem tantò magis virum honorare neque illum contemnere, ſi non ſacer pudor ipſum & opulentia quæ ſecundum Orphea magni animi ſoboles eſt, conſequatur. Hactenus Ariſtoteles. In quam ſententiam rectè etiam canit Ouidius lib.5 Triſtium, elegia vltima:

Eſſe bonam facilè eſt, vbi quod vetat eſſe remotū eſt,
Et nihil officii nupta quod obſtet, habet.
Cum Deus intonuit non ſe ſubducere nimbo
Id demum eſt pietas, id ſocialis amor.

Protheſi affirmatiua Ratio.

16 ***An vxor maritum iuuare debeat in adminiſtranda domo, & quomodo?***

1\. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1.
Quia vxor eſt materfamilias, cui poſt maritum
regimen domus à Deo & Natura eſt commiſſum.
2\. 2. Quia marito adiuncta eſt, non tantū vt thalami conſors, ſed etiam vt ſocia vitæ, & fortunarum omnium.
3\. 3. Quia non debet eſſe fucus, ſed
4\. frugi apicula. 4 Quia quo diligentiorē curam domus habebit, eò magis animum mariti ſibi deuinctum reddet, & concordiam domeſticam conſeruabit.
5\. 5. Quia inhumanum & iniquum eſt omnē domus curam ab vxore in maritum conijci, præſertim cum is aliis negotiis externis, & ad Rempublicam pertinentibus eſt occupatus.

Quomodo vxor rectè iuuet maritū in adminiſtranda domo.

Porro tum demum vxor rectè iuuabit maritum in adminiſtranda domo, ſi. 1. marito abſolutum & ſupremum imperium relinquat, & ſine
1\. eius conſenſu & voluntate ſiue expreſsâ, ſiue taci-

tacita nihil ſuſcipiat & agat. 2. Si ſit ſedula & laborioſa, & inſtar teſtudinis domi potius manere, quàm foris, verſari cupiat. Vndè etiam Phidias Venerem finxit pedibus calcantem teſtudinem. Et Euripedes in Meleagro ait: *Intus manere mulierem oportet bonam: egrediens autem foras nullius pretij eſt.* 3. Si mu- 3.
liebria tractet opera, cuiuſmodi ſunt domum purgare & ornare, cibum præparare aut coquere, infantes curare, ancillas docere & regere, lectum ſternere, circa lanam ac lintea loticesque ac telam verſari. 4. Si omnium eorum, quæ 4.
in domo ſunt, & in domum inferuntur, curam ſuſcipiat, eaque benè tegat ac diſpenſet. 5. Si 5.
in ea, quæ extra domum publicè geruntur, curioſè non inquirat, ſed eorum curam marito committat, non ignorans ὅτι οὐχ οὗτ⊙ ἀνδρὶ ἀπρεπὲς τῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ μεταχειρίζεσθαι ὡς τῇ γυναικὶ τῶν ἔξω πολυπραγμονεῖν, Quod non tam virum dedeceat domeſtici operis aliquid ſuſcipere & agere, quàm mulierem exteriora curioſè ſcrutari, vt docet Ariſtotel. in appendice lib. 1. Oeconomicæ.

17 *An ſecreta Matrimonij ſint diuulganda?* *Pro thesi negatiua.*

STatuitur theſis Negatiua. Rationes ſunt. 1. *Ratio.*
Quia ſic viuendum in coniugio, vt nemo foris 1.
reſciſcere poſſit, quæ intus aguntur: Ideoq; ſecreta Matrimonii intra cubiculi parietes deliteſcere debent. 2. Quià malè ſibi ſuæq; pudicitiæ & ex- 2.
iſtimationi conſulunt coniuges, qui ea produnt, quæ tacenda ſunt. 3 Quia ſanctum concor- 3.
diæ coniugalis vinculum ſæpenumero per intempeſtiua matrimonialium patefactionẽ dirimitur.

4. Quia ſilentium in re vxoria adhibendum eſſe Athenienſes conſuetudine & exemplo docuerunt. Nam cum bellum contra eos gereret Philippus Macedo, & eorum exploratores literas Olympiadis ad Philippum intercepiſſent, eas intactas inuiolataſque reddi iuſſerunt, ſiquidem arbitrabantur coniugii arcana non hoſtibus quidem ſcire licere.

18 *An honeſtam matronam deceat marito mortuo alteri nubere?*

Pro theſi negatiua.

Ratio.

SEntentiam negantem defendit Patricius lib. 4. de Repub. tit. 5. Argumenta præcipua ſunt.
1. 1. Quia ingenui animi eſt, non niſi vni viro coniungi, & hac in re turturis naturam imitari, quam Phyſici aſſerunt, ſi parem amiſerit, nunquam alterius congreſſum quærere.
2. 2. Quia impatiens libidinis eſſe videtur mulier, quæ rurſus nubit, præſertim ſi liberos habeat, matrimonii pignora, & mortuum maritum facie & nomine exprimentes.
3. 3. Quia magni & conſtantis amoris coniugalis vinculum & argumentum eſt, nullum alium virum, præter vnum agnoſcere.
4. 4. Quia quæ rurſus nubit, impia in liberos eſſe cernitur, quos orbato patre & ab omnibus deſtitutos, quaſi in limine vitæ negligit, eo etiam tempore, quo magis parẽtis ope indigere videntur.
5. 5. Quia Romani vetuſtiſſimi corona pudicitiæ honeſtabant eam fœminam, quæ vno contenta matrimonio tantum fuiſſet, perpetuaque viduitate incorrupti animi ſinceritatem oſtendiſſet.
6. 6. Quia honeſta matrona, quæ vidua eſt, ſemper exiſtimare debet, eum cui ſemel conſenſerit, cuique vni adhæſerit viuere, ani-

Digitized by Google

ſe, animoq; illi ſemper hærere veluti ſi peregre militiæve eſſet. 7. Quia idem ſuadent exempla 7.
honeſtarum matronarum, quę in hiſtoriis ad imitandū nobis proponuntur. Hinc Cornelia Gracchorum mater poſt mortem mariti Ptolomæi Regis nuptias reſpuit, & cum ille regni & diadematis communionem offerret, vidua, quam regina eſſe maluit. Hinc Valeria Meſſalæ ſoror, cum à propinquis rogaretur, *cur amiſſo viro nulli nuberet?* ait, *ſibi virum ſemper viuere Seruium*, Putabat enim ſibi viuere virum, quem animo geſtabat, à cuius memoria ne mors quidem eum eripere poterat. Hinc Porcia minor Catonis filia, cum apud eam laudaretur mulier quædam, quæ rurſus nupſerat, *Tacete*; inquit: *Nam neque felix, neque benè morata, aut pudica potuit eſſe fœmina, quæ ſecundo nubit.* Hinc Ania Romana cum eius propinqui ac neceſſarii ei ſuaderent, vt alteri nuberet: cum integra adhuc ætate & facię optima eſſet, reſpondit, ſe id nequaquam eſſe facturam. *Nam ſi virum bonū,* inquit, *inuenero, vt ante habui, nolo perpetuò formidare, ne perdam: ſin malum, quid neceſſe habeo malum experiri, cum optimum priorem fuerim experta.* His argumentis addi poteſt, quod nuptiæ ſecundæ, rarò ſint ſecundæ, vt docet Richterus axiom. 57. Oeconomico. Interim tamen idem Patricius in citato loco non improbare videtur conſilium viduarum, quæ vel ob deſiderium liberorum, quibus carent, vel ob libidinis impatientiam in primo ætatis flore ad ſecundas nuptias tranſeunt. Melius enim eſſe putat viduitatis laude carere, quam pudicitiæ: cum illa ſine ignominia ac turpitudine, hæc autem non ſine probro ac dedecore omittatur.

Digitized by Google

CAP. IV.
De officiis parentum & liberorum.
PRÆCEPTA.

1 *FVerunt primæ Claſſis officia. Sequuntur officia ſecundæ claſſis, quæ parentes & liberos concernunt.*

De officiis parentum.

2 *Officia parentum conſiſtunt in amore & cura paterna liberorum.*

3 *Amor paternus eſt affectus naturalis, per quem parentes ſuos liberos intimè diligunt, iisq; benè cupiunt.*

4 *Cura paterna eſt ſolicitudo ardens & beneuola parentum de ſalute & incolumitate liberorum ſuſcepta.*

5 *Eaq; eſt vel primaria, vel ſecundaria.*

6 *Primaria eſt duplex; cura generationis, & cura educationis.*

7 *Cura generationis exigit, vt parentes de liberis benè procreandis ſint ſoliciti.*

8 *Eaq; conſiſtit partim in legitima & tempeſtiua ex vtraq; parte matrimonii contractione: partim in legitimo & tempeſtiuo coitu: partim in ſedula in matris prægnantis cura.*

9 *Cura educationis exigit, vt parentes de liberis benè educandis ſint ſoliciti.*

10 *Eaq; eſt triplex; cura nutricationis, protectionis, & diſciplinæ.*

11 *Cura*

Digitized by Google

11 *Cura nutricationis poſtulat, vt parentes liberis ſuis de victu neceſſario & ſalubri proſpiciant.*

12 *Illa autem recte peragetur, ſi 1. mater ipſa mammis ſuis infantes lactabit. 2. ſi pro ratione ætatis & temperamenti alimenta iis exhibebunt, qualitate & quantitate diuerſa. 3. ſi ab omni ingluuie eos arcebunt.*

13 *Cura protectionis poſtulat, vt parentes de liberis ſuis protegendis ſint ſoliciti.*

14 *Eaq; conſiſtit partim in procuratione amictus neceſſarii & idonei, aliorumq; vitæ ſubſidiorum, ſine quibus liberi ſalui & incolumes eſſe nequeunt: partim in ſedula eorum aduerſus omnia pericula, damna & iniurias externas defenſione.*

15 *Cura diſciplinæ poſtulat, vt parentes de liberis benè inſtituendis, & ad certum vitæ genus præparandis & aſſuefaciendis ſint ſoliciti.*

16 *Eaq; diſciplina eſt duplex, vna corporis, altera animi.*

17 *Diſciplina corporis conſiſtit partim in recta cõformatione, & cultura membrorum, partim in decenti & ſalubri aſſuefactione & exercitatione corporis.*

18 *Diſciplina animi ſpectat partim ſalutarem rerum notitiam, partim morũ integritatẽ.*

19 *Vtraq; vel eſt priuata, vel publica.*

Digitized by Google

20 *Priuata diſciplina liberorum eſt, quæ domi intra priuatos parietes à parentibus vel immediatè vel mediatè opera Pædagogi inſtituitur.*

21 *Eaq; primo quinquennio, ſeu ſeptennio in primis inſtitui debet: & quod corpus hunc ſcopum ſibi habere propoſitum, vt incrementum illius promoueatur & omnis pigrities euitetur. Ad quam rem multum conducet, ſi liberorum corpora interno & externo motu moueantur, iuq; interdum poteſtas ludendi moderatè ludos pueriles, & liberales concedatur.*

22 *Quoad animum verò priuata diſciplina liberorum rectè inſtituetur, ſi 1. rectè fari doceatur. 2. ſi fabulæ & narrationes honeſtæ ac liberales iis proponantur. 3. ſi prohibeantur conuerſari cum hominibus vilibus & illiberalibus. 4. ſi à viſu & auditu & loquela rerum turpium & obſcœnarum arceantur. 5. ſi denique primæ literarum rudimenta ipſis proponantur, & ſic ad artes præparentur.*

23 *Publica diſciplina liberorum eſt, quæ publicè in ſcholis à præceptoribus & Pædotribus inſtituitur.*

24 *Eaque exacto iam ſeptennio primò incipere debet, totaq; & honeſtatem & ſalutem domus ac Reipublicæ referri: ita tamen vt inter liberos mares & fœminas diſcrimen habeatur, & vtrique ſexui tribuatur id, quod Naturæ eſt cōueniens.*

25 *Ad-*

25 Adhuc de cura paterna primaria. Sequitur ſecundaria, quæ duplex eſt, cura elocationis & cura procreationis

26 Cura elocationis exigit, vt parentes de liberis benè elocandis ſint ſoliciti.

27 In illa habenda eſt ratio illarum conditionum, quarum mentio facta eſt libro 1. Oeconom. cap. 4.

18 Cura promotionis exigit, vt parentes de mediis vitæ benè extra ædes paternas tranſigendæ liberis ſuis prudenter proſpiciant, inter quæ ſunt tū opificia, tum officia honeſta, quibus Reſpublica indiget.

De officiis liberorum.

29 Reſtat vt de officiis liberorum dicamus. Illa reſpiciunt partim ipſos parentes, partim liberos inter ſe.

30 Prioris generis officia conſiſtunt partim in amore & reuerentia; partim obedientia & gratitudine filiali.

31 Amor filialis exigit, vt liberi ſuos parentes intimè diligant, iisq; optima quæq; cupiant & precentur.

32 Reuerentia filialis exigit, vt liberi ſuos parentes reuereantur, magniq; faciant & nullo modo contemnant.

33 Obedientia filialis exigit, vt liberi iuſſis, monitis & conſiliis ſuorum parentum in omnibus rebus honeſtis & licitis pareant & obſequantur.

34 Gratitudo filialis exigit, vt liberi ſeſe erga parentes pro beneficiis acceptis, tam verbis quam factis gratos præbeant.

35 Poſterioris generis officia conſiſtunt in mutua dilectione & concordia.

An amor parentum erga liberos, & vice verſa, propriè innaſci dicatur?

COmmunis hominum opinio eſt amorem illum, quo parentes ſuos liberos, & retro liberi ſuos parentes proſequuntur, innaſci, & propterea illum appellant στοργὴν φυσικήν. Etſi vero negari non poteſt amorem illum eſſe naturalem, quatenus Naturæ eſt conſentaneus, & ex cauſa Naturali proficiſcitur, nimirum ex ſanguinis coniunctione; adeoq; a lege Naturæ præcipitur: tamen videtur non eſſe concedendum ſimpliciter, quod ille amor propriè innaſcatur. Rationes ſunt, 1. Quia nihil propriè dicitur innaſci, niſi quod enti à primo ſui ortu ineſſe incipit. Iam autem parentes liberos ſuos non amant ſtatim ab eo tempore, quo primum in vtero materno ſunt geniti: ſed mater quidem tum demum, cum ex motu eos in vtero viuentes percipit: pater verò tum demum ordinarie, cum eos in lucem editos pro legitimo ſuo fœtu agnoſcit. Neq; liberi a primo ſui ortu parentes ſuos amant, ſed tum demum cum eos pro ſuis legitimis parentibus agnoſcunt & iudicant. Ignoti enim nulla cupido, nullus amor. 2. Quia ſenſus & recta ratio eſt cauſa procreans amoris, qui eſt inter parentes & liberos. Quidquid autem pendetà

det à ſenſu & recta ratione, id propriè non innaſcitur, ſed extrinſecus aduenit. 3. Quia multi patres alienos liberos paterno amore complectuntur: quatenus perſuaſi & decepti ab vxoribus, eos pro ſuis germanis fœtibus habent. Similiter multi liberi alienos patres filiali amore proſequuntur, quatenus à matribus perſuaſi, ex opinionis errore eos pro ſuis germanis patribus agnoſcunt. 4. Quia multi reperiuntur parentes, qui liberos ſuos; & multi liberi, qui parentes non amant, ſed odio habent, &, quod dictu horrendum eſt, extinctos cupiunt. Id autem non fieret, ſi eiuſmodi amor illis eſſet innatus. Neque obſtat, quòd amor, qui eſt inter parentes & liberos, vulgò à Deo & Natura dicitur iis inſitus & implantatus; imò etiam innatus. Sępè enim in communi loquendi conſuetudine ea dicuntur impropriè & tropicè homini inſita, implantata & innata, quæ illi non à primo ſui ortu ineſſe cœperunt; ſed poſt generationem demum; tametſi non longo temporis ſpatio interiecto, acceſſerunt.

3.

4.

2 An parentes naturaliter magis ament liberos, quam liberi parentes?

Pro theſi affirmatiua.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. *Ratio.*
1. Quia per naturam homo magis eſt propenſus ad ſeipſum amandum, quàm alios. Sunt autem liberi de ſubſtantia parentum, & quaſi viua ipſorum ſimulachra. 1.

2. 2. Quia parentes certius norunt, hos eſſe ſuos liberos, quam liberi; parentes, hos eſſe ſuos. Omnis autem amor oritur ex notitia rei amatæ: & quò illa eſt euidentior & certior, eò etiam amor
3. rei amatæ eſt ardentior. 3. Quia generans magis amat generatum, quam hoc illud. Parentes autem ſunt generantes; liberi generati. 4. Quia o-
4. mnis artifex amat opus ſuum, etiamſi ab eo non redametur. Parentes autem ſunt quaſi artifices li-
5. berorum; & liberi, quaſi opera parentum. 5. Quia parentes diutius amarunt liberos, quàm liberi parentes. Illi enim hos ſtatim ac nati ſunt, cœperũt amare; hi vero, illos diu poſt, cum eos agnoſcere cœperunt. Quò autem amor diutius circa rem amatam fuit occupatus & exercitus; eò fit maior &
6. ardentior. 6. Quia liberi ſunt teſtes & ſigna perfectionis paternæ, & tanquam effecta, virtutem procreatricem parentum exprimentia: ſiquidem ex generatione perfectio generantis innoteſcit.
7. 7. Quia parentes in liberis videntur ſibi viuere, & per eos continuata generis propagatione & ſucceſſione ſperant ſe immortales fore. Ideoq; magis eos amant: quemadmodum etiam propter hanc cauſam aui magis amant ſuos nepotes, quàm pa-
8. rentes ipſi ſuos liberos. 8. Quia amor non aſcendit, ſed deſcendit: non ſecus ac virtus naturalis à corporibus cœleſtibus & ſuperioribus deſcendit in ſublunaria, & inferiora; non autem viciſſim ab his aſcendit.

3 *An mater naturaliter magis amet liberos quam pater?*

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia

1. Quia mater certiorem & euidentiorem notiti- 1.
am habet de liberis, quod ſint ſui, quam pater. Il-
lam autem notitiam ſumit ex conceptionis, ge-
ſtationis vterinæ & partus conſideratione. Idcir-
co Odyſſeæ A. Telemachus fatetur, matrẽ ſuam
Penelopen certò ſeſe noſſe. In quam ſententiam
etiam Menander ait:

Ἐστὶν δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός
Ἡ μὲν γὰρ αὑτῆς οἶδεν υἱόν. ὁ δ' οἴεται:

Eſt verò mater liberorum amans magis, quam pater
Illa enim ſuum certò nouit filium, hic putat.

2. Quia mater longiori tempore amauit liberos, 2.
quàm pater, nimirum ſtatim à motu vitali eorum
in vtero per ſenſum tractus cognito. 3. Quia decẽ 3.
menſes illos in vtero non ſine magnis laboribus
& moleſtiis portauit, & ex proprio ſanguine à ie-
core materno per venam vmbilicalem in iecur
ſobolis deriuato nutriuit. 4. Quia cum magno la- 4.
bore & dolore liberos in lucem enixa eſt. 5. Quia 5.
ſtatim à partu illos propriis mamillis aluit, aliaq;
nutricationis & protectionis officia magis quàm
pater præſtitit. 6. Quia frequentius cum illis con- 6.
uerſatur, & ex illo mutuo conuictu pluribus re-
bus ad amandum liberos excitatur & inflamma-
tur. Quod ſi quis obiiciat, plura in hiſtoriis &
quotidianâ vitâ reperiri exempla matrum, quæ
liberos ſuos interfecerunt, quàm patrum: reſpon-
dendum eſt, id fieri non ex eo, quod matres natu-
raliter minùs ament liberos ſuos, quàm patres, ſed
quòd metu futuræ infamiæ magis iudicium mu-
lierum perturbetur & corrumpatur, quàm viro-
rum: citiusq; inſidiis & tentationibus diaboli ob
ſexus infirmitatem ſuccumbant.

Digitized by Google

4 *An quilibet amor parentum erga liberos ſit honeſtus & licitus?*

Diſtinguitur inter amore parentum

STatuitur theſis negatiua. Eſt enim amor alius moderatus, alius immoderatus, quorum ille conſentit cum recta ratione: hic ab ea diſſentit. Prior eſt honeſtus & licitus: poſterior autem non eſt: ſiquidem efficit, vt parentes nimis delicatè & molliter liberos ſuos educent; & plus illis quam par eſt indulgeãt. Vnde porro ſequitur praua inſtitutio liberorum; & tandem praua viuendi ratio, prauiq; & corrupti mores, nec non copioſa aliorum malorum meſſis. Quocirca rectè inquit Plutarchus in libro de educatione puerorum: τὸ λίαν φιλεῖν τοῦ μὴ φιλεῖν αἴτιον κατέστη, *id eſt, Nimiũ amare liberos, eſt cauſa quibuſdam parentibus, cur eos non ament.*

5 *An parentes de liberis bene procreandis ſoliciti eſſe debeant?*

Pro theſi affirmatiua. Ratio.

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia procreatio eſt fundamentũ generis. Sicut autem fundamento male iacto caducum & ruinoſum eſt ædificium, quod ſuper eo extruitur: ita etiam procreatione malè inſtitutà, generis cõditio in liberis eſt miſera & infelix. Et hoc teſtatur etiam Euripides in Hercule furente, cùm ait:

Ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους
Ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους:

Quando verò fundamentum generis nõ iactũ fuerit
Rectè, neceſſe eſt infelices liberos inde natos

2. 2. Quia liberos ex legitimo coitu, aut ſaltem patre vel matre inhoneſta genitos per totam vitam

conſe-

Digitized by Google

conſequuntur indelebilia malę generationis probra, quæ in promtu ſunt iis, qui redarguere & conuiciari eos concupiſcunt. 3. Quia καλὸς παῤῥησίας θησαυρὸς εὐγένεια, hoc eſt, *bonus confidentiæ & libertatis theſaurus eſt, ex honeſtis parentibus natum eſſe.* 3. 4. Quia animus eorum, qui adulterinum & ſpurium habent genus, naturâ ſolet eſſe depreſſus & abiectus. 4. Et, vt Euripides in Hippolyto teſtatur, in ſeruitutem quaſi redigitur vir quantumuis animoſus, quando ſibi conſcius flagitiorum matris vel patris. Sicut contra glorioſi & iactabundi ſunt, qui ex honeſtis parentibus ſunt nati. 5. Quia nihil ſanctius eſt & melius, ſtudioque viri ſani dignius, 5. quàm ex optima & laudatiſſima coniuge ſuſcipere liberos. Ariſtoteles in appendice lib. 1. Oeconom. 6. Quia Lacedæmonii Archidamum 6. regem ſuum mulcta pecuniaria affecerunt, quòd vxorem paruæ ſtaturæ duxiſſet, ſubiicientes, *quod ipſis non reges, ſed regulos generaturus eſſe exiſtimaretur.* 7. Quia ὁ τῶν νέων συνδυασμὸς φαῦλος πρὸς τεκνοποιΐαν, 7. hoc eſt, *adoleſcentium coniunctio mala eſt ad liberorum procreationem*: propterea quòd illorum partus, non ſecus ac in aliis animalibus, imperfecti ſunt, & fœminei crebrius quàm maſculi, & quidem paruâ corporis ſtaturâ gignuntur, vt docet Ariſtoteles lib. 7. Politic. cap. 16. Vbi etiam ſubiicit, ὅτι τὰ τῶν πρεσβυτέρων ἔκγονα καθάπερ τὰ τῶν νεωτέρων ἀτελῆ γίνεται, καὶ τοῖς σώμασι καὶ ταῖς διανοίαις, τὰ δὲ τῶν γεγηρακότων ἀσθενῆ, *quòd ſeniorum fœtus, quemadmodum iuniorum, imperfecti corporibus & animis naſcuntur: eorum verò, qui ſenio confecti ſunt, fœtus ſint infirmi & imbecilli.* 8. Quia 8.

liberi ex coitu parentum ebriorum geniti ſolent fieri propenſi ad ebrieratem. Idcirco Diogenes, cum videret adoleſcentulum delirum & deſipiẽtẽ, *Adoleſcens*, inquit, *pater te ebrius genuit*.
9 9. Quia per generationem plerunque, tanquam per canalem, ſemina virtutum & vitiorum a parentibus in liberos deriuantur.

Obiectio. Quod ſi quis obiiciat, procreationem ſobolis eſſe opus naturæ, neq; ab arbitrio & voluntate parentum pendere: ideoque vanum eſſe, de ea præcepta homini præſcribere.

Solutio. Reſpondeo ad illam obiectionem: primùm. Naturæ opus artis & virtutis induſtriâ poſſe perfici meliusq; reddi. Deinde, cauſas efficientes, quæ antecedunt procreationem ſobolis non omnes eſſe ſimpliciter naturales: ſed quaſdam etiam voluntarias, quæ moderationem & perfectionem ab arte & virtute recipiunt.

Pro theſi affirmatiua. *6. An parentes ſummam curam adhibere debeant in liberis bene educandis?*

Ratio.
1 STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt, 1. Quia lex naturalis, diuina & humana hoc officiũ a parentibus poſtulat.
2. 2. Quia educatio liberorum fundamentum eſt totius vitę ab ipſis trãſigendæ. Si enim illa eſt bona, tota vita eſt bona: ſin mala, tota vita eſt mala. Idcircò recte ait Plutarchus in libro de educatione liberorum, parte. 1. cap. 2. πηγὴ καὶ ῥίζα καλοκἀγαθίας τὸ νομίμου τυχεῖν παιδείας. *Fons & radix virtutis & honeſtatis eſt, legitimam aſſequi inſtitutionem.* Item cap 3. ἓν πρῶτον, καὶ μέσον, καὶ τελευταῖον κεφάλαιον ἀγωγὴ σπουδαία καὶ παιδεία νόμιμός ἐστι. *Vnum primum, & medium & vltimum caput eſt, e-*

ducatio

educatio bona & inſtructio legitima. 3. Quia non Deo, 3.
ſed Satanæ liberos generant parentes, qui rectam
illorum educationem negligunt. Ex iis enim non
cultores Dei & virtutum; ſed mancipia Satanæ &
vitiorum euadunt. 4. Quia in Remp. peccant pa- 4.
rentes, qui liberos male educant. Illius enim in-
tereſt, liberos bene educari, cùm ſint materia &
pars Reip. Idcircò etiam Diogenes Pythagoricus
rectè dixit: *Fundamentum totius Reip. conſiſtere in*
adoleſcentium educatione. 5. Quia melius eſt, non 5.
procreare liberos, quàm procreatos malè educa-
re. Et hoc etiam teſtatur Plato in Critone, cum
inquit: *Aut nō erunt procreandi liberi: aut in illis edu-*
candis & inſtituendis quantumuis moleſtus anxiusq;
labor conſtanter perferendus. 6. Quia numeris terrā 6.
implent, pondereque inutili patriam & Remp.
onerant, qui liberos perperam educant. 7. Quia 7.
liberi ſunt homines cœleſti ſemine oriundi, diui-
næque naturæ participes. Ideoq; cauendum eſt,
ne vitam veluti pecora tranſigant. 8. Quia nihil in 8.
tota vita poteſt eſſe iucundius parentibus, quàm
aſpicere filios generoſos & optimè educatos, tan-
quam plantas nouellas & florentes, ſuauem &
gratum odorem ex ſe vndique ſpirantes: nihil v-
tilius, quàm habere vitæ ſuæ altores & ſenectutis
ſuæ paſtores quaſi optimos: nihil ſanctius quàm
relinquere liberos, in quibus mortui viuant, &
memoria ſempiterna fruantur. 9. Quia turpe eſt 9.
multum ſtudii operæq; diuitiarum acquiſitioni
parentes impendere: liberorum verò nullam cu-
ram gerere: perinde enim eſt, ac ſi quis magnam
curam calceorum habeat, pedum autem ſit negli-
gens. 10. Quia turpe eſt, equos & canes bene edu-

Digitized by Google

care, vt generoſi fiant, & ad vſus humanos idonei: liberorum autem educationem rectam non curate: præſertim cùm hæc naturæ bonitatem confirmet & corroboret, prauitatem corrigat, & defectum expleat. 11. Quia ſicut terra bona, ſi inculta relinquatur, ſteriliſcit & fit infrugifera; ſin verò excolatur, generoſos fructus affert: ita liberi, naturaliter boni; neglectâ ipſorum educatione rectâ, inutilia fiunt terræ pondera: bene verò educati, vtilia fiunt inſtrumenta Eccleſiæ & Reipublicæ. 12. Quia ſicut equi bene domiti redduntur mites, tractabiles, ſuisque ſeſſoribus morigeri: indomiti verò, fiunt feroces, præfracti & immorigeri: ita liberi bene educati, euadunt bene morati; malè autem educati, malè morati. 13. Quia liberi degeneres & improbi parentes mœrore & infamiâ afficiunt: ſicut contra probi eoſdem delectant & ornant.

7 *Quomodo vxor grauida ſeſe gerere debeat?*

CVm ad bonam & felicem ſobolis procreationem non parum conferat, ſcire, quomodo vxor grauida ſeſe gerere debeat: hæc etiam doctrina breuiter: hoc loco videtur eſſe attingenda. Primum itaque cogitabit mulier grauida, hominem in vtero ſe geſtare, eaq; ſarcina nullam præſtantiorem & gratiorem mortalibus contingere poſſe. Deinde omnia, quæ fœtui ſalutaria ſunt, eligat & perſequatur: contra verò omnia, quæ aliquâ ex parte eidem nocitura ſunt, ſtudioſe caueat & declinet, cuiuſmodi ſunt. 1. Intemperantia in cibo & potu, rebuſque Venereis adhibita. 2. Frequens vſus

vſus acidorum aliorumque alimentorum, quibus fœtus nō corroboratur, ſed imbecillior redditur. 3. Nimia deſidia. 4. Nimius labor motusq; corporis immoderatus, præſertim ſaltus. 5. Frequens corporis in terram incuruatio. 6. Frequens brachiorū in altū expanſio. 7. nimia corporis per cinctū compreſſio: & id genus alia, de quibus fuſius Medici tractant, cùm mulieri grauidæ diætam certam præſcribunt.

8 *An mater liberos ſuos proprio lacte alere debeat?*

Pro theſi affirmatiua. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia natura nō fruſtra matri dedit partim mamillas duas, partim lactis copiam, ſtatim à partus tempore in mamillis generatam & collectam: ſed eo fine, vt ipſa proprio lacte liberos ſuos alat. 2. Quia mater maiori diligentiâ & curâ alit liberos, quàm nutrix, cùm illa naturali & ſincero amore ac beneuolētiâ eos amplectatur: hæc verò aduētitio & ſuppoſititio, ex mercedis ſpe ſuſcepto. 3. Quia naturalis amor inter matrem & liberos magis magisq; intenditur & augetur, ſi illa hos propriis mammis alat. Ἡ συντροφία γὰρ ὥσπερ ἐπιτόνιόν ἐστι τῆς εὐνοίας: Conuictus enim velut, amplificatio eſt beneuolentiæ. 4. Quia, vt Ariſtoteles docet lib. 2. de Generat. & Corru. c. 8. ἅπαντα τρέφεται τοῖς αὐτοῖς, ἐξ ὧνπέρ ἐστιν *omnia nutriuntur iisdem, ex quibus ſunt.* Iam autem liberi ſunt ex ſubſtantia matris. Ergo omnium optimè lacte eiuſdem nutriuntur: non ſecus ac plantæ ex ſucco terræ, in qua natæ ſunt. 5. Quia liberi cognationē naturalem habēt cum lacte materno. Ideoq; illud ſubſtantiæ ipſo-

Marginal notes: 1. *Plut. in lib. de Educ. lib part. 1 cap. 4* — 2. — 3. — 4. — 5.

Digitized by Google

6. tum magis eſt accommodatum & ſalubre; quàm lac nutricis. 6 Quia cum temperamentum corporis in infantibus nondum ſit confirmatum; ſed inſtar ceræ mollis omnium impreſſionum adhuc capax; ipſum verò nutrimentum, in ſubſtantiam rei nutriendæ conuertatur: hinc fit, vt vſu lactis alieni à nutrice ſuppeditato non rarò totum temperamentum immutetur: & ſimul cum eo naturales mores & virtutes, à parentibus in liberos per ſemina tanquam canalem, deriuata extinguantur; contrà verò mores nutricum per alimoniam lactis infundantur. Vnde porrò exiſtit diſſimilitudo naturæ & morum, non tantùm inter parentes & liberos, ſed etiam inter ipſos liberos, tum fratres, tum ſorores, qui à diuerſis nutricibus ſunt educati: & hinc etiam cauſa non leuis ſumitur, cur heroum & magnatum filii plerunque à patria virtute degenerent: cum nimis delicatæ matres nutricationis curam partui nolint adiungere, ſed alienis tradant alendos; ex quibus cum lacte ipſo temperamentum hauriunt alienum, & per conſequens, mores alienos. Lac enim maximam vim habet ad immutandum temperamentum & mores, qui temperamentum ſequuntur. Quò reſpexit Virgilius, cum lib. 4. Æneidos Didonem introduxit ſic alloquentem Æneam:

Non te diua parens genuit, nec Dardanus auctor;
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæq; admorunt vbera tigres.

7. 7. Quia turpe eſt, terram natiuo ſuo ſucco alere plantas ex ſe genitas; & beſtias proprio lacte nutrire ſuos fœtus; matres autem homines liberis ſuis, quos pepererunt, nolle naturale lactis nutrimen-

mentum præbere. 8. Quia turpe eſt, matrem in- 8.
fantem ſuum in vtero ſanguine ſuo aluiſſe; cum
eum non videret; poſt partum autem nõ amplius
ſuo lacte alere velle: cum videat eum iam viuen-
tem, & matris officium implorantem audiat; præ-
ſertim, cùm non ſine cauſa is ſanguis; qui antea à
iecore matris per venam vmbilicalem in vterum
fuit deriuatus, infantis nutriendi gratia, aduen-
tante partus tempore in ſupernas partes, nempe
mammillas, miranda Naturæ ſolertia deriuetur.
Idcirco memorabile eſt; quod de Graccho ſcribi-
tur, illum nutrici ſuæ gemmam valdè precioſam;
matri autem longè viliorem dediſſe: & cum ma-
ter hoc factum indigne ferret, reſpondiſſe: Mater,
hoc propterea ago, quia tu ſolum nouem menſi-
bus me geſtaſti in vtero: hæc verò me tribus inte-
gris annis in vlnis & amplexibus fideliſſimè enu-
triuit: negaſti id mihi, quod planta ramis, quod ſi-
mia catulis non negauit. 9. Quia turpe eſt; ſan- 9.
ctiſſimum illum fontem humani generis educa-
torem, temere ſine vlla vrgente neceſſitate arefa-
cere. 10. Quia mater non eſt integra & perfecta, 10.
ſed dimidia tantùm & imperfecta mater ſuæ ſo-
bolis, quæ eam tantùm parit, ſed iam natam pro-
prii & cõſueti ſanguinis alimonia priuat. 11. Quia 11.
amor, quem liberi matribus, à quibus non ſunt
nutriti, exhibere videntur, non eſt vere naturalis,
ſed ciuilis potiùs & opinabilis. 12. Quia beneficiũ 12.
materni lactis tanti meriti fuit apud veteres, vt
impetratura durius quippiam à filiis matres, per
lac, quod illis tribuerant, ſemper poſcerent, ne-
faſq; haberetur, niſi filios exoraſſent, vt ait Patri-
tius lib. 4. de Rep. tit. 6. 13. Quia lactatio pro- 13

Digitized by Google

prii infantis maximas delicias & voluptates matri parit, quatenus eius blæſa loquutio, ſuauis riſus, & vernacula illa feſtiuitas omnes numos longè anteire ſolet. Quòd ſi tamē matres ipſæ ſuos liberos, quos enixę ſunt, alere non poſſint, vel propter corporis imbecillitatem, vel propter alia impedimenta grauiſſima, tunc licitum illis eſt nutrices & altrices adhibere. Sed opera danda eſt, vt illæ ſint, ſanæ, robuſtæ & bene moratæ; imprimis verò cōplexioni matris quoad fieri poteſt, ſimiles: nō autem morboſæ, imbeciles, & male moratæ, & diuerſi planè à matre temperamenti ne vna cum lacte ſua vitia in infantē inſtillent. Nam de Tyberio ſcribitur, quòd per nutricem ebrioſam factus ſit & ipſe ebrioſus. Et Dion. lib. 2. de Cæſaribus ſcribit de Caligula, quòd non ex parentibus, ſed ex nutrice ſua tyrannidem hauſerit.

9 *An de recta membrorum corporis in liberos conformatione & exercitatione debeant parentes eſſe ſoliciti?*

Pro theſi affirmatiua.
Ratio.

1\. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia recta membrorum corporis conformatio non tantùm decoram figuram & ſtaturam liberis conciliat; ſed etiam ad motum aptum & facilem tum totius corporis, tum ſingulorum illius membrorum plurimum conducit. Et hoc etiam docet Plutarchus in libro de Educatione puerorum, parte 1. cap. 5. cùm inquit: *Τὰ μέλη τοῦ σώματος εὐθὺς ἀπὸ γενέσεως πλάττειν τῶν τέκνων ἀναγκαῖόν ἐστιν, ἵνα ταῦτα ὀρθὰ καὶ ἀστραβῆ φύηται.* *Membra corporis ſtatim à generatione liberorum formare neceſſe eſt, vt hæc*

Digitized by Google

vt hæc recta & non peruerſa ſeu tortuoſa naſcantur.
2. Quia ſicut arbores naſcuntur rectæ, quando 2.
ab hortulano bene flectuntur & diriguntur;
curuæ verò & diſtortæ, quando cura hortula-
ni abeſt: ita etiam corpora infantum talia fiunt,
qualis eorum ab ineunte ætate conformatio à
matribus vel nutricibus adhibetur. εὔπλαστον γὰρ
καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης. *Iuuentus enim ad forman-
dum facilis eſt & mollis*, vt idem Plutarchus in
citato loco ait. 3. Quia motus aſſiduus & 3.
moderatus infantum, ſiue fiat geſtatione in vl-
nis, ſiue agitatione in cunis & vehiculis, ſi-
ue ſtatione, ſiue inceſſu, ſiue alio quocunque
modo calorem naturalem excitat; digeſtio-
nem alimentorum adiuuat, eaque per ſingu-
la membra diſtribuit, opilationes aperit, ex-
crementa ſuperflua & inutilia conſumit, diſ-
ſipat & expellit; denique totum corpus re-
creat, eius augmentum, robur, & rectam
membrorum conformationem promouet. Id-
circo idem Plutarchus capite decimo partis ſe-
cundæ, corporis exercitationem pueris conce-
dendam eſſe ſuadet, partim propter εὐρυθμίαν,
hoc eſt, *concinnam corporis compoſitionem*, par-
tim propter robur, quod inde acquiri- *Cautela.*
tur. Cauendum tamen eſt, ne infantes, cum
iam ſtare aut incedere incipiunt, diutius, quam
par eſt in eiuſmodi motu relinquantur. Facilè e-
nim accidere poteſt, vt propter ponderis gra-
uitatem, & mollitiem pedum membra eorum
tortuoſa & obliqua reddantur. Idcircò v-
tile erit, vt tum quoque alternatim & per

vices geſtentur: donec rectè & decenter membra liberorum confirmata & conſolidata eſſe videantur.

Pro theſi negatiua. Ratio.

10 An ploratus infantum ſit cohibendus?

1. PRo theſi negante faciunt hæ Rationes. 1. Quia ploratus infantum eſt exercitium corporis vtile ad augmentum illius promouendum. 2. Quia
2. ſubtrahit partem humoris ſuperflui, quo infantes ob temperamentum humidum & diætam inordinatam abundant. 3 Quia calorem naturalem
3. excitat, fortioremq; & efficaciorem efficit, quatenus partim commouet totum corpus, partim etiam illud per diſſipationem humidi ſuperflui exiccat aliquo modo, magiſque temperatum reddit. 4. Quia pulmones euentilat, & à fuliginibus,
4. quibus repleti ſunt, liberat. 5. Quia ſpirituum vi-
5. talium & animalium ex corde & cerebro per arterias & neruos in omnia membra influxum promouet & adiuuat: quatenus partim per mœrorem ſibi adiunctum cor comprimit, partim per
6. totius corporis commotionem idem dilatat. 6. Quia thoracem & diaphragma dilatat & amplificat partim per halituum ex pulmonibus expulſionem, partim per ſpirituum vitalium & anima-
7. lium influxum. 7. Quia ſanguinis ex iecore per venas in omnia membra diffuſionem & diſtributionem promouet & adiuuat: & ſic ad nutritionem multum momenti affert.

Pro theſi affirmatiua. Argumenta.

At contrà pro theſi affirmante adducuntur hęc argumenta. 1. Quia vtile eſt, infantes habere ani-
1. mum pacatum & tranquillum, partim ob nutritionem, partim ob incrementum corporis. Hunc autem

Digitized by Google

autem perturbat ploratus. Et propterea etiam Plato lib. 2. de Legibus monet nutrices, ne pueros vel metu vel triſtitia afficiant, ſed operam dent, vt ipſorum animus pacatior & tranquillior reddatur. 2. Quia ploratus inſtar tum oritur ex violenta cordis ſpirituumq; coarctatione, quam excitat dolorifica mali obiecti notitia. 3. Quia perturbat & diſſipat, & conſumit ſpiritus vitales, vi doloris, ex quo prouenit. 4. Quia corrumpit oculos per humorum ad glandulas eorum affluxum violentumq; expreſſionem. 5. Quia ex ploratu aſſiduo & immoderato ſæpè exiſtit ruptura ſeu hernia in infantibus. 2. 3. 4. 5.

Pro deciſione Quæſtionis diſtinguendum eſt inter moderatum & immoderatum fletum ſeu ploratum. Prior non eſt cohibendus in pueris ob multiplicem vtilitatem, quæ in rationibus pro theſi negante adductis eſt expreſſa. Poſterior verò eſt cohibendus ob exceſſum noxium. Et de eo niſi intelligantur argumenta pro theſi affirmante allata, non poſſunt conſiſtere. *Quæſtio decidıtur per diſtinct.*

11 *An infantes ad frigus tolerandum ſint aſſuefaciendi?*

PRo theſi affirmante valent hæc argumenta. 1. Quia frigus poros corporis conſtringit, & calorem vitalem non tantùm à circumferentia ad centrum, hoc eſt, ab exterioribus membris ad interiora reuocat, ſed etiam per halitus calidos intra corpus retentos eundem auget. 2. Quia corpus indurat, idque robuſtius & valentius, ac inprimis ad rem militarem aptius reddit. Et hoc expreſsè teſtatur Ariſtoteles lib. 7. Politic. cap. 17. *Pro theſi affirmatiua argumenta.* 1. 2.

Digitized by Google

çum ait: *συμφέρει εὐθὺς καὶ πρὸς τὰ ψύχη συνεθίζειν ἐκ μικρῶν παίδων· τοῦτο γὰρ καὶ πρὸς ὑγίειαν, καὶ πρὸς πολεμικὰς πράξεις εὐχρηστότατον.* *Prodeſt etiam ſtatim, ab ineunte ætate infantes ad frigora aſſuefacere: hoc enim & ad ſanitatem, & ad actiones militares eſt vtiliſſimum.* Vbi etiam commendat conſuetudinem partim earum gentium, qui pueros ſimul ac nati ſunt, in frigidum fluuium immergunt: partim Celtarum ſeu Gallorum, qui tenui tegumento veſtiunt infantes.
3. 3. Quia vtile eſt, infantes ab ineunte ætate ſenſim & pedetentim aſſuefacere ad omnia, ad quæ aſſuefieri poſſunt. Er-
4. go etiam ad frigus tolerandum. 4. Quia *εὐφυὴς ἡ τῶν παίδων ἕξις διὰ θερμότητα πρὸς τὴν τῶν ψυχῶν ἄσκησιν.* *Natura aptus eſt puerorum habitus ad frigora*
5. *toleranda, propter calorem*, ſcilicet natiuum & vitalem, quo abundant. 5. Quia calor externus, ſi ſit nimius, poros corporis aperit, calorem vitalem à centro ad circumferentiam euocat, ſudorem excitat, totumq; corpus laxum, inualidum & effœminatum reddit.

Pro theſi Negatiua.
Ratio.

At contra pro theſi negante afferuntur hæ
1. Rationes. 1. Quia frigus tenera corpora infantum facile penetrat, eorumque calorem vita-
2. lem obruit. 2. Quia frigus impedit digeſtionem alimentorum, & per conſequens nutritionem & accretionem infantum, quæ non ni-
3. ſi caloris adminiſtrâ ope peraguntur. 3. Quia excitat reumata pericu oſa, præſertim in infantibus, quorum corpora humoribus ſunt repleta: & ſic ſanitatem non parum lædit.
4. 4. Quia omnia viuentia calore conſeruantur, frigore cor-

rum-

rumpuntur, vt manifeſtè plantarum exemplum teſtatur.

Pro deciſione Quæſtionis diſtinguendum eſt inter frigus moderatum & immoderatum. De priore vera eſt theſis affirmatiua. De poſteriore negatiua. Vt enim intenſiſſimo frigori infantes non ſunt exponendi: ita etiam in hypocauſtis aut aliis locis nimium calidis non ſunt educandi. Itaque rectè faciunt parentes, qui pro quantitate caloris & frigoris externi veſtibus & tegumentis eiuſmodi infantes muniunt, ne vel nimius æſtus, vel nimium frigus iis noceat. *Quæſtio deciditur per diſtinct.*

12 *An in liberis bene educandis victus ſit habendus delectus?*

Pro theſi affirmatiua.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt 1. Quia multum intereſt ad ſanitatem & vires corporis quo nutrimento alantur infantes, vt docet Ariſtot. lib. 7. Polit. cap. 17. 2. Quia non quodlibet alimentum cuilibet ætati conueniens eſt, ſed pro ratione illius diuerſum eſt habendum. Hinc Philoſophus ibidem aſſerit, lac eſſe alimentum corporibus infantum maximè accommodatum. Cuius aſſertionis ratio eſt. 1. Quia natura ipſa lac in mamillis mulierum parat. 2 Quia maximam proportionem & ſimilitudinem habet cum ſanguine, quo infans in vtero matris per vmbilicum fuit nutritus. 3. Quia concoctu eſt facillimum. 4. Quia in omnes corporis regiones velociſſimè tranſuehitur. 5. Quia reliquos cibos, qui ſunt ſolidioris & durioris naturæ, infantes non poſſunt digerere: Vinum autem Galenus & *Ratio. 1. 2. Lac eſt maximè conueniens infantibus. Ratio. 1. 2. 3. 4. 5. Vinum cur noceat infantibus.*

Google

care, vt generoſi fiant, & ad vſus humanos idonei: liberorum autem educationem rectam non curare: præſertim cùm hæc naturæ bonitatem confirmet & corroboret, prauitatem corrigat, & defectum expleat.
11. Quia ſicut terra bona, ſi inculta relinquatur, ſteriſeſcit & fit infrugifera; ſin verò excolatur, generoſos fructus affert: ita liberi, naturaliter boni; neglectâ ipſorum educatione rectâ, inutilia fiunt terræ pondera: bene verò educati, vtilia fiunt inſtrumenta Eccleſiæ & Reipublicæ.
12. Quia ſicut equi bene domiti redduntur mites, tractabiles, ſuisque ſeſſoribus morigeri: indomiti verò, fiunt feroces, præfracti & immorigeri: ità liberi bene educati, euadunt bene morati; malè autem educati, malè morati.
13. Quia liberi degeneres & improbi parentes mœrore & infamiâ afficiunt: ſicut contra probi eòſdem delectant & ornant.

7 *Quomodo vxor grauida ſeſe gerere debeat?*

CVm ad bonam & felicem ſobolis procreationem non parum conferat, ſcire, quomodo vxor grauida ſeſe gerere debeat: hæc etiam doctrina breuiter: hôc loco videtur eſſe attingenda. Primum itaque cogitabit mulier grauida, hominem in vtero ſe geſtare, eaq; ſarcina nullam præſtantiorem & gratiorem mortalibus contingere poſſe. Deinde omnia, quæ fœtui ſalutaria ſunt, eligat & perſequatur: contra verò omnia, quæ aliqua ex parte eidem nocitura ſunt, ſtudioſe caueat & declinet, cuiuſmodi ſunt. 1. Intemperantia in cibo & potu, rebuſque Venereis adhibita, 2. Frequens vſus

vſus acidorum aliorumque alimentorum, quibus fœtus nõ corroboratur, ſed imbecillior redditur. 3. Nimia deſidia. 4. Nimius labor motusq; corporis immoderatus, præſertim ſaltus. 5. Frequens corporis in terram incuruatio. 6. Frequens brachiorũ in altũ expanſio. 7. nimia corporis per cinctũ compreſſio: & id genus alia, de quibus fuſius Medici tractant, cùm mulieri grauidæ diætam certam præſcribunt.

8 *An mater liberos ſuos proprio lacte alere debeat?*

Pro theſi affirmatiua. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia natura nõ fruſtra matri dedit partim mamillas duas, partim lactis copiam, ſtatim à partus tempore in mamillis generatam & collectam: ſed eo fine, vt ipſa proprio lacte liberos ſuos alat. 2. Quià mater maiori diligentiâ & curâ alit liberos, quàm nutrix, cùm illa naturali & ſincero amore ac beneuolẽtiâ eos amplectatur: hæc verò aduẽtitio & ſuppoſititio, ex mercedis ſpe ſuſcepto. 3. Quià naturalis amor inter matrem & liberos magis magisq. intenditur & augetur, ſi illa hos propriis mammis alat. Ἡ συντροφία γὰρ ὥσπερ ἐπιτόνιόν ἐστι τῆς εὐνοίας: Conuictus enim velut, amplificatio eſt beneuolentiæ. 4. Quia, vt Ariſtoteles docet lib. 2. de Generat. & Corru. c. 8. ἅπαντα τρέφεται τοῖς αὐτοῖς, ἐξ ὧνπέρ ἐστιν *omnia nutriuntur iisdem, ex quibus ſunt.* Iam autem liberi ſunt ex ſubſtantia matris. Ergo omnium optimè lacte eiuſdem nutriuntur: non ſecus ac plantæ ex ſucco terræ, in qua natæ ſunt. 5. Quia liberi cognationẽ naturalem habẽt cum lacte materno. Ideoq; illud ſubſtantiæ ipſo-

1. Plut. in lib. de Educ. lib. part. 1 cap. 4.

2.

3.

4.

5.

rum magis eſt accommodatum & ſalubre; quàm
6. lac nutricis. 6 Quia cum temperamentum corporis in infantibus nondum ſit confirmatum; ſed inſtar ceræ mollis omnium impreſſionum adhuc capax; ipſum verò nutrimentum, in ſubſtantiam rei nutriendæ conuertatur: hinc fit vt vſu lactis alieni à nutrice ſuppeditato non rarò totum temperamentum immutetur: & ſimul cum eo naturales mores & virtutes, à parentibus in liberos per ſemina, tanquam canalem, deriuata extinguãtur; contrà verò mores nutricum per alimoniam lactis infundantur. Vnde porrò exiſtit diſſimilitudo naturæ & morum, non tantùm inter parentes & liberos, ſed etiam inter ipſos liberos, tũ fratres, tum ſorores, qui à diuerſis nutricibus ſunt educati: & hinc etiam cauſa non leuis ſumitur; cur heroum & magnatum filii plerunque à patria virtute degenerent: cum nimis delicatæ matres nutricationis curam partui nolint adiungere, ſed alienis tradant alendos; ex quibus cum lacte ipſo temperamentum hauriunt alienum, & per conſequens, mores alienos. Lac enim maximam vim habet ad immutandum temperamentum & mores, qui temperamentum ſequuntur. Quò reſpexit Virgilius, cum lib. 4. Æneidos Didonem introduxit ſic alloquentem Æneam:

Non te diua parens genuit, nec Dardanus auctor;
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæq; admorunt vbera tigres.

7. 7. Quia turpe eſt, terram natiuo ſuo ſucco alere plantas ex ſe genitas; & beſtias proprio lacte nutrire ſuos fœtus; matres autem homines liberis ſuis, quos pepererunt, nolle naturale lactis nutri-

men-

mentum præbere. 8. Quia turpe eſt, matrem in- 8.
fantem ſuum in vtero ſanguine ſuo aluiſſe; cum
eum non videret; poſt partum autem nõ amplius
ſuo lacte alere velle: cum videat eum iam viuen-
tem, & matris officium implorantem audiat; præ-
ſertim, cùm non ſine cauſa is ſanguis; qui antea à
iecore matris per venam vmbilicalem in vterum
fuit deriuatus, infantis nutriendi gratia, aduen-
tante partus tempore in ſupernas partes, nempe
mammillas, miranda Naturæ ſolertia deriuetur.
Idcirco memorabile eſt; quod de Graccho ſcribi-
tur, illum nutrici ſuæ gemmam valdè precioſam;
matri autem longè viliorem dediſſe: & cum ma-
ter hoc factum indigne ferret, reſpondiſſe: Mater,
hoc propterea ago, quia tu ſolum nouem menſi-
bus me geſtaſti in vtero: hæc verò me tribus inte-
gris annis in vlnis & amplexibus fideliſſimè enu-
triuit: negaſti id mihi, quod planta ramis, quod ſi-
mia catulis non negauit. 9. Quia turpe eſt; ſan- 9.
ctiſſimum illum fontem humani generis educa-
torem, temere ſine vlla vrgente neceſſitate areſa-
tere. 10. Quia mater non eſt integra & perfecta, 10.
ſed dimidia tantùm & imperfecta mater ſuæ ſo-
bolis, quæ eam tantùm parit, ſed iam natam pro-
prii & cõſueti ſanguinis alimonia priuat. 11. Quia 11.
amor, quem liberi matribus, à quibus non ſunt
nutriti, exhibere videntur, non eſt vere naturalis,
ſed ciuilis potiùs & opinabilis. 12. Quia beneficiũ 12.
materni lactis tanti meriti fuit apud veteres, vt
impetraturæ durius quippiam à filiis matres, per
lac, quod illis tribuerant, ſemper poſcerent, ne-
faſq; haberetur, niſi filios exoraſſent, vt ait Patri-
tius lib. 4. de Rep. tit. 6. 13. Quia lactatio pro- 13.

Digitized by Google

prii infantis maximas delicias & voluptates matri parit, quatenus eius blæſa loquutio, ſuauis riſus, & vernacula illa feſtiuitas omnes numos longè anteire ſolet. Quòd ſi tamē matres ipſæ ſuos liberos, quos enixę ſunt, alere non poſſint, vel propter corporis imbecillitatem, vel propter alia impedimenta grauiſſima, tunc licitum illis eſt nutrices & altrices adhibere. Sed opera danda eſt, vt illæ ſint, ſanæ, robuſtæ & bene moratæ; imprimis verò cō-plexioni matris quoad fieri poteſt, ſimiles: nō autem morboſæ, imbecilles, & male moratæ, & diuerſi planè à matre temperamenti ne vna cum lacte ſua vitia in infantē inſtillent. Nam de Tyberio ſcribitur, quòd per nutricem ebrioſam factus ſit & ipſe ebrioſus. Et Dion, lib. 2. de Cæſaribus ſcribit de Caligula, quòd non ex parentibus, ſed ex nutrice ſua tyrannidem hauſerit.

9 *An de recta membrorum corporis in liberos conformatione & exercitatione debeant parentes eſſe ſoliciti?*

Prò theſi affirmatiua.
Ratio.

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia recta membrorum corporis conformatio non tantùm decoram figuram & ſtaturam liberis conciliat; ſed etiam ad motum aptum & facilem tum totius corporis, tum ſingulorum illius membrorum plurimum conducit. Et hoc etiam docet Plutarchus in libro de Educatione puerorum, parte 1. cap. 5. cùm inquit: Τὰ μέλη τοῦ σώματος εὐθὺς κατὰ γενέσεως πλάττειν τῶν τέκνων ἀναγκαῖόν ἐστιν, ἵνα ταῦτα ὀρθὰ καὶ ἀστραβῆ φύηται. *Membra corporis ſtatim à generatione liberorum formare neceſſe eſt,*

vt hæc

vt hæc recta & non peruerſa ſeu tortuoſa naſcantur. 2. Quia ſicut arbores naſcuntur rectæ, quando ab hortulano bene flectuntur & diriguntur; curuæ verò & diſtortæ, quando cura hortulani abeſt: ita etiam corpora infantum talia fiunt, qualis eorum ab ineunte ætate conformatio à matribus vel nutricibus adhibetur. εὔπλαστον γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης. *Iuuentus enim ad formandum facilis eſt & mollis*, vt idem Plutarchus in citato loco ait. 3. Quia motus aſſiduus & moderatus infantum, ſiue fiat geſtatione in vlnis, ſiue agitatione in cunis & vehiculis, ſiue ſtatione, ſiue inceſſu, ſiue alio quocunque modo calorem naturalem excitat; digeſtionem alimentorum adiuuat, eaque per ſingula membra diſtribuit, opilationes aperit, excrementa ſuperflua & inutilia conſumit, diſſipat & expellit; denique totum corpus recreat, eius augmentum, robur, & rectam membrorum conformationem promouet. Idcirco idem Plutarchus capite decimo partis ſecundæ, corporis exercitationem pueris concedendam eſſe ſuadet, partim propter εὐρυθμίαν, hoc eſt, *concinnam corporis compoſitionem*, partim propter robur, quod inde acquiritur. Cauendum tamen eſt, ne infantes, cum iam ſtare aut incedere incipiunt, diutius, quam par eſt in eiuſmodi motu relinquantur. Facilè enim accidere poteſt, vt propter ponderis grauitatem, & mollitiem pedum membra eorum tortuoſa & obliqua reddantur. Idcirco vtile erit, vt tum quoque alternatim & per

Cautela.

vices geſtentur: donec rectè & decenter membra liberorum confirmata & conſolidata eſſe videantur.

Pro theſi negatiua. Ratio.

10 *An ploratus infantum ſit cohibendus?*

.1 PRo theſi negante faciunt hæ Rationes. 1. Quia ploratus infantum eſt exercitium corporis vtile ad augmentum illius promouendum. 2. Quia
2. ſubtrahit partem humoris ſuperflui, quo infantes ob temperamentum humidum & diætam inordinatam abundant. 3 Quia calorem naturalem
3. excitat, fortioremq; & efficaciorem efficit, quatenus partim commouet totum corpus, partim etiam illud per diſſipationem humidi ſuperflui exiccat aliquo modo, magiſque temperatum red-
4. dit. 4. Quia pulmones euentilat, & à fuliginibus,
5. quibus repleti ſunt, liberat. 5. Quia ſpirituum vitalium & animalium ex corde & cerebro per arterias & neruos in omnia membra influxum promouet & adiuuat: quatenus partim per mœrorem ſibi adiunctum cor comprimit, partim per
6. totius corporis commotionem idem dilatat. 6. Quia thoracem & diaphragma dilatat & amplificat partim per halituum ex pulmonibus expulſionem, partim per ſpirituum vitalium & anima-
7. lium influxum. 7. Quia ſanguinis ex iecore per venas in omnia membra diffuſionem & diſtributionem promouet & adiuuat: & ſic ad nutritionem multum momenti affert.

Pro theſi affirmatiua. Argumenta.

1. At contrà pro theſi affirmante adducuntur hęc argumenta. 1. Quia vtile eſt, infantes habere animum pacatum & tranquillum, partim ob nutritionem, partim ob incrementum corporis. Hunc

autem

Digitized by Google

autem perturbat ploratus. Et propterea etiam
Plato lib. 2. de Legibus monet nutrices, ne pueros
vel metu vel triſtitia afficiant, ſed operam dent,
vt ipſorum animus pacatior & tranquillior red-
datur. 2. Quia ploratus infantum oritur ex vio- 2.
lenta cordis ſpirituumq; coarctatione, quam ex-
citat dolorifica mali obiecti notitia. 3. Quia per- 3.
turbat & diſſipat, & conſumit ſpiritus vitales, vi
doloris, ex quo prouenit. 4. Quia corrumpit ocu- 4.
los per humorum ad glandulas eorum affluxum
violentamq; expreſſionem. 5. Quia ex ploratu aſſi- 5.
duo & immoderato ſæpè exiſtit ruptura ſeu her-
nia in infantibus.

Pro deciſione Quæſtionis diſtinguendum eſt *Quæſtio deciditur per diſtinct.*
inter moderatum & immoderatum fletum ſeu
ploratum. Prior non eſt cohibendus in pueris ob
multiplicem vtilitatem, quæ in rationibus pro
theſi negante adductis eſt expreſſa. Poſterior verò
eſt cohibendus ob exceſſum noxium. Et de eo niſi
intelligantur argumenta pro theſi affirmante al-
lata, non poſſunt conſiſtere.

11 *An infantes ad frigus tolerandum ſint aſſuefaciendi?*

PRo theſi affirmante valent hæc argumenta. 1. *Pro theſi affirmatiua. argumenta.*
Quia frigus poros corporis conſtringit, & ca-
lorem vitalem non tantùm à circumferentia ad 1.
centrum, hoc eſt, ab exterioribus membris ad in-
teriora reuocat, ſed etiam per halitus calidos in-
tra corpus retentos eundem auget. 2. Quia cor- 2.
pus indurat, idque robuſtius & valentius, ac in-
primis ad rem militarem aptius reddit. Et hoc ex-
preſsè teſtatur Ariſtoteles lib. 7. Politic. cap. 17.

Digitized by Google

rumpuntur, vt manifeſtè plantarum exemplum teſtatur.

Pro deciſione Quæſtionis diſtinguendum eſt inter frigus moderatum & immoderatum. De priore vera eſt theſis affirmatiua. De poſteriore negatiua. Vt enim intenſiſſimo frigori infantes non ſunt exponendi: ita etiam in hypocauſtis aut aliis locis nimium calidis non ſunt educandi. Itaque rectè faciunt parentes, qui pro quantitate caloris & frigoris externi veſtibus & tegumentis eiuſmodi infantes muniunt, ne vel nimius æſtus, vel nimium frigus iis noceat. *Quæſtio deciditur per diſtinct.*

12 *An in liberis bene educandis victus ſit habendus delectus?*

Pro theſi affirmatiua.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt *Ratio.*
1. Quia multum intereſt ad ſanitatem & vires corporis, quo nutrimento alantur infantes, vt docet Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 17. 2. Quia non quodlibet alimentum cuilibet ætati conueniens eſt, ſed pro ratione illius diuerſum eſt habendum. Hinc Philoſophus ibidem aſſerit, lac eſſe alimentum corporibus infantium maximè accommodatum. Cuius aſſertionis ratio eſt. 1. Quia natura ipſa lac in mammillis mulierum parat. 2 Quia maximam proportionem & ſimilitudinem habet cum ſanguine, quo infans in vtero matris per vmbilicum fuit nutritus. 3. Quia concoctu eſt facillimum. 4. Quia in omnes corporis regiones velociſſimè tranſuehitur. 5. Quia reliquos cibos, qui ſunt ſolidioris & durioris naturæ, infantes non poſſunt digerere: Vinum autem Galenus &

Lac eſt maximè conueniens infantibus. *Ratio.* 1. 2. 3. 4. 5.

Vinum cur nocent infantibus.

Vinum cur noceat infantibus.

alii Medici noxium eſſe infantibus docent: propterea quòd hauſtum calefacit & humectat nimium corpora eorum, quæ ſua natura ſunt calida & humida, caputq; vaporibus replet. Vnde etiam vini potum liberis vſque ad annum ætatis duodeuigeſimum prohibent. In quam ſententiam videtur etiam inclinare Ariſtoteles in loco antea citato cum præcipit, vt nutrimentum infantum ſit ἀοινότερον διὰ τὰ νοσήματα, hoc eſt, *ab vſu vini remotius propter morbos.*

Obiectio.

Verùm obiici poteſt contra ſuperiores aſſertiones.
1. Ex lacte obſtructiones generari, & propterea id ab Hippocrate febricitantibus & capitis
2. dolore laborantibus prohiberi. 2. Lac facilè in
3. malos humores verti. 3. Vinum maiorem ſimilitudinem cum ſanguine habere, quàm lac aquoſum. Proinde lac infantibus videri noxium; vinum verò vtile. Reſpondeo ad primam obiectionem, diſtinguendum eſſe inter lac muliebre,

Reſpond. ad obiect.

1. quod tenue eſt & aquoſum, & inter lac vaccinum & caprinum, quod craſſioris & pinguioris eſt ſub-
2. ſtantiæ. De poſteriore enim verum eſt, quòd obſtructiones pariat. De priore autem non. Ad alteram reſpondeo, lac tam in bonos, quàm in malos humores facilè conuerti poſſe pro diſpoſitione corporis, in quod recipitur. In infantibus autem duo remedia eſſe, quæ impediunt, ne lac in humores prauos conuertatur: primum Naturam, quæ propter ſimilitudinem id alimenti appetit; alterum læuorem alui, qua omnia ſuperflua quotidiè in ſentinam mittit. Ad tertiam reſpondeo,
3. vinum non maiorem ſimilitudinem cum ſanguine, ac lac, habere: ſed quia plus iuſto eſt calidum,

non

non aliter, ac flammam flammæ additum corpora infantum accendere & vrere.

13 *An à primis incunabulis diſciplina, ſeu inſtitutio liberorum ſit inchoanda?* *Pro theſi aff.*

PRo theſi affirmante afferuntur hæc argumenta. *Arg.* 1. Quia nullum tempus cura liberorum vacare debet. 1. 2. Quia ſicut membra corporis ſtatim à generatione infantibus bene ſunt conformanda, vt recta & non tortuoſa fiant: ita etiam mores liberorum ab incunte ætate bene ſunt componendi. vt docet Plutarchus in lib. de Educat. puerorum. 2. 3. Quia liberi à teneris annis ſunt inſtar ceræ mollis εὔπλαστοι, hoc eſt, *formatu faciles.* Et ſicut ſigilla ceræ molli; ita etiam tenellis ipſorum animis doctrina & boni mores facilè imprimi poſſunt. 3. 4. Quia vt vitium primæ concoctionis non corrigitur in ſecunda & tertia: ita etiam errata circa primam liberorum educationem cõmiſſa difficulter poſteà emendari poſſunt. 4. Idcircò rectè ait Ariſtoteles lib. 2. Ethic. ad Nicom. cap. 1. Οὐ μικρὸν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως ευθὺς νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. *Non parũ refert ſic vel ſic ſtatim à pueris aſſueſieri; ſed permultùm, imò verò totum in eo poſitum eſt.* 5. Quia Plato lib. 2. Politic nutricibus præcipit, ne quaslibet fabulas puellis recitent, ne ipſorum animi ab initio errore & prauitate imbuantur. 5. Et Chryſippus, licet triennium nutricibus dederit, tamen ab illis quoq; iam formandos quàm optimis inſtitutis infantium mores indicat. Idem monet Phocylides hoc verſiculo:

Παῖδ' ἔτ' ἐόντα χρεὼν δὴ καλὰ διδασκέμεν ἔργα.

Decet eum, qui adhuc puer eſt, bona docere opera.

6. Quia Spartani infantes primum editos, vt la-

bore firmarentur, frigidiſſima aqua ſoliti ſunt immergere, nihil ſomni cauſa ſubſternere, humili cultu educare.

Pro theſi Negatiua.

Argumenta.

At contrà pro theſi negante adducuntur hæc argumenta. 1. Quia valde pernicioſum eſt, tenellam ætatem fatigari inſtituendi moleſtia. 2. Quia prima ætas non eſt capax diſciplinæ propter defectum rationis. 3. Quia tunc Natura tota occupata eſt in nutriendo, augendo & corroborando corpore infantium. Non igitur per laborem inſtitutionis ab illo opere eſt auocanda. Idcircò etiam Ariſtoteles lib. 7. Polit cap. 17. docet, liberos primo quinquennio neq; ad vllam diſciplinam, neq; ad labores neceſſarios impellendos eſſe, ne accretio impediatur: ſed eam tantum eorum motionem eſſe adhibendam, vt ſegnities & deſidia corporis euitetur.

Quæſtio deciditur per diſtinctionẽ.

Vt igitur veritas Quæſtionis rectiùs intelligatur, diſtinguendum eſſe videtur inter diſciplinam corporis & animi, eamq; vel priuatam vel publicam. Diſciplina enim corporis priuata ſtatim à primis incunabulis eſt inchoanda. Hæc enim conſiſtit partim in recta conformatione & cultura membrorum; partim in decenti & ſalubri aſſuefactione & exercitatione corporis, cuius vtriuſque etiam infantes recens nati ſuo modo ſunt capaces. Diſciplina verò animi ſecundum Ariſtotelem priuatim eſt inchoanda poſt primum quinquennium exactum: publicè verò vbi ſeptimum ætatis annum liberi attigerint. Tunc enim rationis vſus manifeſtius ſeſe incipit in iis exercere: minuſq; periculum de virium corporis impedimento imminet.

14 *An ludi pueriles ſint permittendi liberis?*

ARiſtoteles lib. 7.Polit.ca. 14.docet, *ludos pueriles*, quos vocat παιδιάς, liberos eſſe permittẽdos, vt ita corpora ipſorum moueãtur, & ab ignauia & torpore auocetur. Sed ne quis exiſtimet quoslibet ludos ab ipſo permitti, ſtatim ſubiicit in iis quatuor conditiones requiri. 1.vt ſint liberales. 2.ne ſint nimis laborioſi. 3.ne ſint nimis lenti & remiſſi. 4.vt ſint imitationes & præludia eorum, quæ poſtea in adultiori ætate seriò ſunt facienda. *Sentẽtia affirmatiua defenditur ſecundum quid.*

Rationes cur eiuſmodi conditiones requirãtur ſunt, 1.Quia ludi pueriles debẽt animũ liberorum præparare & diſponere ad virtutẽ & alacritatẽ quãdã, à vitiis autẽ & ſordib auocare. Tales autẽ ſunt ii, qui ſunt liberales. 2.Quia iidem debẽt promouere, non impedire incremẽtum & robur corporis. Non igitur vtile eſt, eos eſſe nimis laborioſos. Labor n. vehemens excitat calorem nimium & vi illius immodicè exiccat corpora puerorum, & ad extenſionẽ inepta reddit. Non ſecus ac ignis ſolet corium ad ſe diutius, quam par eſt, admodum exſiccare & corrugare. Et propterea etiã tẽpore æſtiuo nõ concedendum eſt, vt in ſole meridiano ad ſudorẽ vſq; ludãt. 3.Quia iidẽ debent prohibere & excutere ſocordiã & teporẽ liberorum, ne vi illius corpora eorum ſuperflui humoris copia repleantur. Illum autẽ vſum præſtare non poſſunt ſi ſint nimis lẽti ac remiſſi. 4.Quia ludi pueriles ingeniũ & memoriã liberorum προοδοποιεῖν, i. e. *præparare ac diſponere* debẽt per ſimulacra rerũ ludicrarum ad melius & facilius cõcipiendũ & retinendum ſeria. Vtile igitur eſt, vt imitatiões & prçludia quçdã fiãt

mi-

iam vanis rerum idolis & figmentis mentes eorum deludunt. Proinde Plato lib. 2. de Repub. rectè aſſerit deteſtandos & exſibilandos eſſe eos, qui pueris narrant fabulas de Deorum furtis, adulteriis, bellis, diſcordiis, inuidiis, inimicitiis, deceptionibus, mendaciis & id genus aliis factis, ex quibus colligi poſſet Deum eſſe auctorem peccati.

16 *An pueri ab omni adſpectu, auditu & loquela rerum turpium & obſcœnarum ſint arcendi?*

Pro theſi Negatiua. Ratio.

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt, 1. quia pueri inſtar ceræ molles facillimè in ſe recipi- 1.
unt ſimilitudinem variarum rerum, quas vident vel audiunt. 2. Quia ſenſus rerum turpium & obſcœnarum virtutum ſemina perdit, vitiorum ſpargit;
magnamq; morum corruptelam ſecum trahit. 2.
3. Quia ſicut teſta noua, odorem, quo ſemel eſt 3.
imbuta, diu retinet: ita etiam pueri rerum quas à teneris annis vident & audiunt memoriam diu
conſeruant. 4. Quia homines propenſi ſunt ad ea, 4.
ex quorum viſu & auditu in pueritia ſua voluptatem & delectationem perceperunt, difficulterque ab iis abſtrahi poſſunt, cum conſuetudo ſit
quaſi altera natura. 5. Quia per loquelam rerum 5.
turpiũ homo diſponitur paulatim ad factorũ obſcœnitatẽ. Ἐκ τοῦ γὰρ εὐχερῶς λέγειν, ὁτιοῦν τῶν αἰσχρῶν γίνεται, καὶ τὸ ποιεῖν σύνεγγυς. *Ex eo enim quod quis facile proloquitur quodlibet turpe, fit vt à turpi facto nõ procul abſit*, vt docet Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 17. Idcircò etiam Democritus dixit *ſermonem eſſe vmbram facti*. Qualia enim homo loquitur, talia plerunque
facit. 6. Quia omnia mala debent pueris eſſe quaſi 6.

peregrina & incognita; maximè vero ea, quæ in ſe turpitudinem aliquam, aut animi offenſionem habent, vt ibidem ait Philoſophus. 7. Quia ideircò Ariſtoteles in loco citato prohibet, ne pueri cũ ſeruis conuerſentur, picturasq; & fabulas obſcœnas & illiberales videant & audiant, ne indè contagium aliquod morum contrahant.

Obiectio. Quod ſi quis obiiciat, intuitum malorum exẽplorum, in quibus turpitudo & noxa morum malorum exprimitur, interdum multum ponderis habere ad abſtrahendum homines ad eiuſmodi vitiis. Ideoq; Lacedæmonios nonunquã curaſſe ſeruos vino inebriatos in conſpectum liberorum ſuorum produci, vt cognoſcerent, quanta ineſſet turpitudo & noxa ebrietati, & ſic à teneris annis inciperent ebrietatem auerſari & fugere; temperantiam verò colere:

Reſponſio. Reſpondeo id verum eſſe de homine, qui iam actu benè vti poteſt ratione, & inter honeſta & turpia diſcernere: non autẽ de pueris qui propter naturalem rationis & iudicii infirmitatẽ ſic præſtare nequeunt, de quibus quæſtio propoſita loquitur.

17 *An publica puerorum in ſcholis inſtitutio ſit præferenda priuatæ ſeu domeſticæ?*

Pro theſi affirmatiua. Argumenta. STatuitur theſis affirmatiua ob ſequentia argumenta. 1. Quia publica inſtitutio pendet à cõmuni conſtantiq; conſenſu ac auctoritate virorum ſapientum & prudentium, præſertim eorum, qui ad gubernacula Reipublicæ ſedent. Domeſtica verò à priuato vnius atq; alterius hominis iudicio, quod varium eſt & mutabile. 2. Quia illa ſemper ſpectat & dirigitur ad bonum publicum & cõmune

mune hæc verò ad bonum domeſticum & propri-
um 3. Quia illa fit in loco publico, & quaſi in luce 3.
Reipublicæ. priuata verò in loco priuato, & quaſi
in tenebris domeſticorum parietum. Semper aũt
lumen anteponendum eſt tenebris; præſertim iis,
qui in luce aliquãdo viuere volunt. 4. Quia illa eſt 4.
ſeuera & arcta propter leges, ad quas ſeruandas
docentes & diſcentes ſunt obſtricti: hæc vero eſt
mollis & laxa, ob nimiam dilectionem, & indul-
gentiam, quam parentes erga liberos exercent. 5. 5.
Quia publica puerorum inſtitutio partim ingenia
puerorum excitat ad æmulandum virtutes, quæ
publicè in aliis laudantur & fugienda vitia, quæ in
aliis vituperantur; partim communitate & ſimili-
tudine ſtudiorum amicitiam firmam & conſtan-
tem inter commilitones conciliat; partim varios
hominum mores, leges & inſtituta iuuentuti nota
facit, & ſic eam prudentiorem efficit. partim o-
mnes φιλαυτίας & ſuperbię fibras in pueris elidit, ef-
ficitq; vt modeſte de ſe ſentiant, quatenus cũ aliis
doctioribus ſe comparantes vidẽt ſibi multa de-
eſſe; quæ in aliis reperiuntur: partim denique prohi-
bet, ne iuuẽtus vel falſa doctrina, vel prauis mori-
bus imbuatur: cũ præceptores nihil audeant, niſi
quod publicè probatum eſt, illis proponere & pręc-
cipere. Contraria autẽ effecta à priuata oriuntur
inſtitutione. 6. Quia liberi non tantum parẽtibus; 6.
ſed etiã Reipublicæ naſcuntur. Ideoq; horum in-
ſtitutio quoq; debet eſſe publica, vt per eã boni ci-
ues euadãt. 7. Quia exẽpla præſtantiſſimarum Re- 7.
rumpublicarum, tam veterum. v. g. Perſarum La-
cedæmoniorum & Romanorum; quam recen-
tium idẽ comprobant, quæ publicam liberorum
inſtitutionẽ parentib. præceperunt. priuatæq; an-

Digitized by Google

te poſuerunt. Hinc etiam multi Imperatores & principes imperii Romani paſſim Academias inſtituerunt, variisq; priuilegiis & immunitatibus donarunt, vt ita publica iuuentutis Inſtitutio eò commodius fieri poſſit. At contra pro theſi Negante afferri ſolent hæc argumenta. 1. Quia nemo maiorem curam habet liberorum, meliusq; eorum naturam & mores & ingenia nouit, quam ipſi parentes, à quibus nati, enutriti & educati fuerunt. Ideoque priuata inſtitutio parentum plus ponderis apud liberos, quam publica aliorum habebit. 2. Quia priuata inſtitutio ad rectè informandum iuuentutem magis appoſita eſt, quam publica: quatenus illa efficit, vt labor imitandi maiore cum fructu paucis quam pluribus ſimul impendatur. Hæc vero efficit, vt pueri imitandis aliorum moribus facilius corrumpantur: & ad Scholas diuerſas miſſi ſubindè præceptores mutent; & ſic eandem ſortem experiantur, quam plantæ ſæpius translatæ, aut vina crebrò in alia vaſa transfuſa. 3. Quia idem probatur exēplo Chaldæorum & Ægyptiorum, qui Philoſophiam olim à patribus ſuis priuatim didicerunt, & euaſerunt viri doctiſſimi.

Pro theſi Negatiua. argumenta. 1. 2. 3.

Soluuntur Argumenta. 1.

Reſpondeo ad primum argumentum, & concedo quidem, neminem melius naturam, mores & ingenia liberorum noſſe, quam illorum parentes: ſed nego alios maiorem ſemper illorum curam habere, quam alios, quorum fidei committuntur. Experientia enim quotidiana teſtatur, magnam ſemper eſſe negligentiam & indulgentiam parentum in educandis & informandis doctè ipſorum liberis. Ideoq; non ſequitur priuatam

paren-

parentum inſtitutionem plus ponderis apud liberos, quam publicam aliorum habere. Ad alterum argumentum reſpondeo committi in eo, 1.
partim fallaciam petitionis principii, quatenus falſum argumentum ſumitur pro vero: partim fallaciam accidentis, quatenus publicæ inſtitutioni eiuſmodi effecta attribuuntur, quæ ei non per ſe, ſed per accidens competunt. Ad tertium argumentum reſpondeo illud quidem eſſe verum, ſed 2.
ad probandam theſin inſufficiens.

18 *An Pædagogi liberis ſint præficiendi, & quales?*

Pro theſi affirmatiuâ. Ratio.

IN prima parte quæſtionis ſtatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt 1. Quia priuata inſtitutio non benè à ſolis parentibus perfici poteſt propter 1.
varia negotia & impedimenta, tum priuata, tum publica; ſed opus habet opera Pædagogi, qui partem curæ & inſpectionis in ſe deriuet; præſertim quando parentes aut abſunt, aut aliis rebus ſunt occupati, aut etiam ignari earum rerum, in quib. pueri ſunt inſtituēdi. 2. Quia pueri niſi à Pædago- 2.
go regantur; quauis beſtia ſolent eſſe intractabiliores, vt docet Plato lib. 7. de legib. 3. Quia agricolę 3.
ſicut apponunt palos plantis tenellis & infirmis, quibus fulciuntur, & à curuitate & fractura prohibentur: Ita etiam parentes oportet præficere liberis pædagogos, quorum monitis & præceptis aſſiduis ad bonos mores aſſueſiant, & à vitiorum corruptela auertantur.

Quales Pædagogi ſunt præficiendi liberis, Cautelâ.

Cauendum autem eſt parentibus, 1. ne liberos ſuos, tanquam precioſiſſima κειμήλια committant priuatæ inſtitutioni illorum hominum, qui ſunt ad hoc officium obeundum planè inepti & inha- 1.

biles, cuiuſmodi ſunt ſecundum Plutarchum in libello de educatione liberorum, homines ſeruilis, barbaræ & leuis naturæ: ſecundum alios verò homines imperiti, indocti, vitaq; & moribus diſſoluti. Turpe enim eſt ex ſeruis probis alios agriculturæ, alios nauigationi, alios mercaturæ præficere: liberorum verò pædagogiæ præficere homines improbos & ineptos. 2. Ne omnem curam inſtitutionis priuatę in ſolum Pędagogum reiiciant; ſed ipſi etiam nonnunquam eius inſpectionem & cenſuram agant, vt hac ratione Pædagogus magis magisq; ad officium ſuũ fideliter obeundum excitetur. Sicut enim nihil ęquè ſaginat equum, ac oculus Regis; ita etiam nihil æquè liberorum inſtitutionem domi promouet, ac oculus parentum.

19 *An liberi ſint caſtigandi & quomodo?*

NEminem ſanæ mentis eſſe arbitror, qui ſimpliciter negare auſit liberos eſſe caſtigandos. Id enim non tantum ſacræ literæ paſſim præcipiunt: ſed etiam recta ratio ſuadet his potiſſimum argumentis. 1. Quia caſtigatio eſt ſignum amoris verè paterni. Qui enim liberos ſuos verè diligunt, eos ſub ferula tenent, vt docet Syracid. cap. 30. 2. Quia ſtultitiæ eſt expultrix, & ſapientiæ procreatrix. 3. Quia eſt frenum peccati, & calcar ad probè honeſteq viuendum. 4. Quia eſt mater felicitatis, tam domeſticæ quam ciuilis 5. Quia vt veſtes, quę rarò induuntur, à tineis facilè erodiuntur: ita liberi rarò caſtigati ob nimiam parentum indulgentiam corpore & animo ſæpè corrumpuntur: idēque his quod Simiarum catulis accidere ſolet, qui nimio complexu à ſuis necantur.

Digitized by Google

De modo autem caſtigationis notandum eſt 1. Liberos pro qualitate naturarum, modò verbis, modò verberibus, modo vtriſq; ſimul eſſe caſtigandos. 2. Magis tamen verbis, quam verberibus vtendum: tum quia verbera ſeruilib. ingeniis magis, quam liberalibus conueniunt: tum quia liberi obtorpeſcunt & exhorreſcunt ad labores, partim ob dolores verberum, partim ob contumelias: tũ quia laudationes & vituperationes quouis verbere ſunt vtiliores liberalibus ingeniis: quatenus illę ad honeſta excitant; hę à turpibus arcent: vt docet Plutarchus in libro de educatione liberorum. 3. Moderationem tam in verbis, quam in verberibus eſſe adhibendam, vt neq; ex iracundia & crudelitate in exceſſu; neq; ex lentitudine & indulgentia in defectu peccetur. Nam vt Nazianzenus ait: *Vtrumq; malum eſt indulgentia blanda, & implacabilis ſeueritas.* 4. Reprehenſionum & plagarum acerbitatem manſuetudine eſſe temperandam: perinde ac Medici medicamenta amara ſuccis dulcibus temperare ſolent; vt ſimul delectent & proſint. 5. Ad leuia errata & peccata liberorum interdum eſſe conniuendum, neq; omnia ad viuum reſecanda, ne illi animo puſillo & abiecto fiant. 6 Laudationibus & vituperationibus alternatim eſſe vtendum: his quidem ad pudefaciendum; illis verò ad erigendum liberorum exorbitantium animos. 7. Nimias laudationes liberorum eſſe fugiendas, ne iis ad ſuperbiam & arrogantiam excitentur.

Quando liberi caſtigandi.

Obſeruatio.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

20 *An parentes bono exemplo liberis ſuis præire debeant?*

Pro theſi aff. Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1.
1. Quia primus & optimus inſtituendi modus eſt exemplum bonum à parentibus liberis propoſitum. Cum enim liberi parentes ament ac reuereantur partim ob Naturæ cognationem, partim ob varia in ſe collata beneficia: idcirco etiam dicta & facta adeoq; mores parentum accuratè obſeruant, iisq; magis, quam vlla alia re mouentur.
2. 2. Quia liberi propter domeſticam & aſſiduam cum parentibus conuerſationem, plerunque tales euadunt, quales ſunt ipſi parentes.
3. 3 Quia niſi parẽtes bonum vitæ exemplar ſeſe liberis ad imitandum proponant, occaſionem iis præbent pro ſe aduerſus parentes cauſam dicendi, periculumque eſt, ne parentes tanquam futiles & contempti in ſenectute à liberis deſerantur, vt docet Ariſtoteles lib. 2. Oeconom.
4. 4. Quia parentes liberè taxare & reprehendere vitia & peccata liberorum nequeunt, quibus ipſi ſunt obnoxii: imo quoties liberos reprehendunt, toties ſeipſos tacitè accuſant: & ſic in culpa ipſi ſunt, quod admonitiones & reprehenſiones ſuæ apud liberos nullam vim, nullumque pondus habeant. Sibi enim primum quisq; Medicus eſſe debet, priuſquam alteri manus admoueat: Et ſibi monitor ſit oportet, qui alios velit admonere. Idcircò rectè & prudenter Plutarchus ſub finem libri de educatione puerorum, hoc præceptum ſubiicit. Πρὸ πάντων δὲ τοὺς πατέρας τῷ μηδὲν ἁμαρτάνειν, ἀλλὰ πάντα ἃ δεῖ πράττειν ἐναργὲς ἑαυτοὺς παράδειγμα τοῖς τέκνοις παρέχειν ἵνα πρὸς τὸν τούτων βίον, ὥσπερ κάτοπτρον, ἀποβλέποντες ἀποτρέπωνται τῶν αἰσχρῶν ἔργων

καὶ

περὶ λόγων. Ante omnia decet parentes nihil peccando, ſed omnia, quæ decent agendo perſpicuum ſeipſos exemplar liberis præbere, vt in eorum vitam, tanquam in ſpeculum intuentes à turpibus factis & dictis auertantur.

21 *Quæ liberorum erga parentes ſint officia: & cur hæc à liberis ſint præſtanda?*

SI vlla doctrinæ Oeconomicæ pars eſt, quæ cognitu neceſſaria eſt & vtilis: certè hæc eſt, quæ de liberorum erga parentes officiis tractat. Etſi verò in iis recenſendis inter ſe non conſentiunt Philoſophi ſed alii plura, alii pauciora cõſtituunt: videtur tamen commodè diſtinctioris doctrinæ gratia ad quatuor capita ſeu genera reuocari poſſe, nempe amorem, reuerentiam, obedientiam & gratitudinem filialem. Debent enim liberi ſuos parentes 1. ardenter & intimè amare. 2. ſeriò & ex animo revereri ſeu honorare. 3. iiſdem in omnibus rebus honeſtis & licitis promptè obedire. 4. Erga eoſdem ſe gratos tam verbis quam factis præbere.

Officia liberorum erga parentes recenſentur. 1. 2. 3. 4.

Rationes, cur hæc officia liberis à parentibus ſint præſtanda, ſunt hæ præcipue. 1, Quia parentes ſunt quaſi dii terreni, domeſtici & tutelares. 2. Quia maximi ſunt in terris εὐεργέται liberorum. Nõ enim tantum proximè & ſecundum Deum liberis per procreationem dant eſſentiam, & vitam naturalem: eosq; in lucem editos, nudos & infirmos, omniq; auxilio deſtitutos alunt & tuentur: ſed etiam ſi boni ſunt dant operam, vt ab ineunte ætate rectè educentur ac inſtituantur: omniſque generis curas, labores & moleſtias ſuſcipiunt, vt liberis neceſſaria vitæ benè degendæ ſubſidia ac-

Rationes cur eiuſmodi officia à liberis ſint præſtanda parẽtib. 1. 2.

quirant: imò ſæpè ſuum defraudantes genium comparcunt, vt habeant, vnde neceſſitati liberorum ſuccurrant. Vndè etiam ab Hierocle in libro, quomodo erga parentes agendum ſit, vt teſtatur Stobæus ſerm 77. vocantur φίλοι καὶ τῶν χρειῶν διηνεκεῖς καὶ αὐτόκλητοι παντὸς καιροῦ, καὶ πάσης περιστάσεως ἐπίκουροι, hoc eſt, *amici & auxiliarii perpetui & ſpon-*
3. *tanei, quouis tempore & caſu opem ferentes.* 3. Quia lex Naturalis, diuina & humana eiuſmodi officia à liberis exigunt, cum nihil ſit iuſtius, quam τοὺς γενέσεως καὶ παιδείας αἰτίους ὄντας ἀντευεργετεῖν, hoc eſt, *generationis & diſciplinæ auctores mutuis beneficiis demereri*, vt ait Anaximedes citante Stobæo
4. ibidem. 4. Quia neque gratiam & benedictionem diuinam conſequi; neque iram & maledictionem effugere poſſunt liberi, niſi eiuſmodi officia parētibus ſuis pręſtent. Et propterea rectè ait Euripedes in Heraclidis.

Ὅστις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει,
Ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος.

Quisquis verò parentes in vita colit,
Hic & viuus & mortuus diis charus eſt.

Item Orpheus cum ita canit:

Ζεὺς δ' ἐφορᾷ γονέων ὁπόσοι τιμῶσι θέμιστας,
Καὶ ὅσοι οὐκ ἀλέγουσιν ἀναιδέα θυμὸν ἔχοντες.
Καὶ τοῖς μὲν πρόφρων τε καὶ ἤπιος ἐσθλὰ δίδωσι,
Τοῖς δὲ κακὰ φρονέουσι νεμεσίζεται εὐμενίδεσσι.

Iupiter vero videt parentum qui colunt iura,
Et qui non curant, impudentem omnium habentes:
Et illis quidem benignus & mitis bona dat:
His vero infenſus indignatur per furias.

5. 5. Quia hominum amorem & fauorem ſibi conciliant liberi qui talia officia parentibus præſtant: ſicut contra odium & iram incurrunt, qui illa negligunt.

Digitized by Google

gligunt. 6. Quia communis prudentium & ſapientium virorum conſenſus idem ſuadet. Vnde Plato lib. 4. & 11. de legibus poſt Deos immortales vult honorari parentes ipſo opere, verbis, & omni patientia, tanquam Deos quoſdam viſibiles & terrenos, atque: Nemeſin iudicii angelum ſemper præſtò eſſe rerum huiuſmodi obſeruatricem, quæ grauiſſimè vlciſcatur eos, qui debito honore parentes non fuerunt proſecuti. Et Ariſtotel. lib. 9. Ethic. ad Nicomachum cap. 2. monet parentibus honorem vt Diis eſſe habendum. In quam ſententiam etiam Iſocrates Demonico præcipit; τοιοῦτος γίνου περὶ τοὺς γονεῖς οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γίνεσθαι τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας. *Talis eſto ergo parentes, quales optares erga teipſum fieri tuos ipſius liberos.* Et Plutarchus in libro περὶ φιλαδελφίας præclarè inquit: *Parentibus honorem poſt Deos primum & maximum* non modò Natura; ſed etiam lex Naturæ conſeruatrix tribuit: nec vllum officium Deo magis placet, quam ſi liberi parentibus & nutriciis mutuam gratiam pro nutricatione ſummâ cum beneuolentiâ & alacritate reddant. 7. Quia exempla non tantum proborum liberorum, quorum in ſacrâ & profanâ Hiſtoriâ fit mentio; ſed etiam beſtiarum multarum ad idem nos hortantur. 8. Quia nullum euidentius ſignum eſt impię mentis, quam neglectio & contemptus parentum, vt probat Richterus axiom. 44 Oeconomico.

6.

7.

8.

22 An liberi parentibus vnquam parem gratiam referre poſſint? *Pro theſi Negatiua.*

Ratio. 1.

STatuitur theſis Negatiua. Rationes ſunt. 1. Quia tâta eſt magnitudo beneficiorũ à parẽtib.

in liberos collocatorum, vt nunquam ea pc
2. compenſare ac retaliare poſſint. 2. Quia nu
facia à liberis parentibus præſtare queunt, q
qualis ſint dignitatis ac pretii cum benefici
3. rentum. 3 Quia parentes, vt Hierocles teſ
ſunt veluti Θεοὶ ἐφέστιοι ἢ ἑστιοῦχοι hoc eſt, *dii dom*
Sicut autem Deo optimo maximo nemo pa
gratiam referre poteſt; ita neq; liberi parenti
Et propterea rectè aſſerit Ariſtoteles lib. 1. Et
Nicomach. cap 1. Deo, parentibus & præcept
Admonitio. bus ἰσόῤῥοπον τιμὴν, *æquiualens pretiũ* reddi non pc
Interim tamen obnixè opera danda eſt liberis,
ea, quæ poſſunt gratitudinis officia ſemper, qu
diu viuunt, parentibus exhibeant. Inter quæ
iam illa duo ſunt. 1. vt θρεπτήρια, hoc eſt, *debita n*
tritionis præmia iis perſoluant. Id autem præſtabun
ſi non tantum erunt γηροβοσκοὶ, hoc eſt, *parentum i*
ſenectute nutritores; ſed etiam cuſtodes, defenſore
ac adiutores: præſertim vbi effœti & debiles fact
fuerint. 2. Vt non tantum ſeniles eorum infirmi
tates & næuos; ſed etiam eorum iniurias difficiles
æquo animo ferant, neq; vel verbis, vel factis eos
vnquam offendant, aut lædant. Hinc filia Cimo-
nis in Hiſtoriis laudatur, quod patrem fame ne-
candum propriis mammillis aluerit, vt narrat Pli-
nius lib. 7. cap. 36. Et Pauſanias in Phocidis. Nec
non adoleſcens quidam Eretricus, qui cum Ze-
nonem Philoſophum tam diu audiuiſſet, donec
virilem ætatem attigiſſet: poſtea reuerſus Eretriã,
interroganti patri, *quidnam ſapientia tanto temporis*
interuallo didiciſſet, reſpondit *ſe demonſtraturum,*
nec multò poſt id præſtitit. Indignante enim patre,
& tandem verberibus eum afficiente, ipſe quie-
tus

Digitized by Google

tus & tolerans, hoc ſe didiciſſe dixit, *vt iram parentum patienter ſuſtinere, & non ægre ferre poſſit.* Et hoc etiam ſuadet Syracid. cum inquit: *Fili mi curam habe parentis tui in ſenecta ſua, eumq; nunquam dum viuit, mœrore affice. Æquo fer eum animo, ſi repuera-ſcit nec eum vllo modo contemnito, ſi te ſit imperitior. Nam in parentem collata beneficia tua nunquam obliuioni tradet Deus*, &c.

23 *An liberi rectè dici poſſint inobedientes, qui parentibus per omnia non obſequantur?*

Pro theſi Negatiua. Ratio.

STatuitur theſis Negatiua. Rationes ſunt, 1 Quia ſecundum Muſonium, vt teſtatur Stobæus ſerm. 77. ἐκεῖνος ἀπειθὴς μόνος, τῶν εὖ καὶ καλῶς καὶ συμφερόντως προστατομένων ἀφροντιστῶν, καὶ παρακούων. hoc eſt, *ille ſolus dicitur inobediens, qui bene, honeſte & vtiliter imperata negligit & nō audit.* Contra: τῷ τὰ προσήκοντα παραινοῦντι πειθόμενος ἂν καὶ ἑπόμενος ἑκουσίως οὗτος εὐπειθὴς, hoc eſt, *qui recta præcipienti obtemperat & obſequitur vltrò ille obediens dicitur.* Proindè non rectè dici poſſunt liberi inobedientes, qui parentibus vel turpia & noxia præcipientibus, vel honeſta & ſalutaria prohibentibus, non obſequuntur: ſicut neq; contra obedientes ſunt, qui eiuſmodi iuſſa parentum faciunt. 2. Quia omnis inobediens probro & reprehenſione dignus eſt, cum talis denominetur ab inobedientia, quæ vitium morale eſt, turpe ac vituperabile. Iam autem liberi, qui parentum turpia & noxia iuſſa non faciunt, non probro & reprehenſione; ſed laude & commendatione digni ſunt. 3. Quia omnis inobediēs peccat contra rectam rationem. Liberi autem, qui parentibus, mala præcipientibus, & bona vetan-

tibus non obſecundant, non peccāt contra rectā rationem: quippe quæ ſemper ad bona homines hortatur, & à malis dehortatur. 4. Quia omnis inobediens incurrit pœnam diuinam, Liberi autem qui prauæ parentum voluntati reſiſtunt, non incurrunt in pœnam diuinam. Itaq; non eſt cur liberi metuant, ne inobedientiæ crimine ſeſe obſtringant, ſi mala à parentibus præcepta, & bona ab iiſdem vetita facere pergant. Legi enim diuinæ & rectæ rationi ſemper magis, quam parentibus, aduerſus illam aliquid præcipientibus, vel prohibentibus eſt obtemperandum.

24 *An parentum imprecationes & execrationes liberis diligenter ſint vitandæ?*

Sententia affirmatiua defenditur.

REperiuntur multi improbi ac immorigeri liberi, qui diras & execrationes parētum, quos ſuis nefariis delictis offendunt, & ad iram prouocant, planè negligunt & contemnunt, neq; ab iis quicquam ſibi metuunt. Sed horum exemplum nullo modo eſt imitandum. Nam vt benedictionibus; ita etiā maledictionib. parentum magnum pondus ineſſe conſtat: Et hæ rarò ſolent eſſe irritæ, ſed plerunq; triſtes calamitates liberis accerſunt. Vndè rectè in Germanico prouerbio dici ſolet, Elteren fluch bekleibet aerne. Nec malè comparantur furiis infernalibus, quas Poëtæ fingunt immorigeros & contumaces liberos inſequi, & iuſtas inobedientiæ pœnas ab iis exigere. Et hoc etiam teſtantur exempla, quæ paſſim in Hiſtoriis tam ſacris, quam profanis occurrunt, v.g. Chami, filiorum Oedipi, Adraſti, Theſei, & aliorum liberorum, qui propter maledictiones parentum miſerabiliter vixerunt, & perie-

perierunt, vt videre eſt apud Richterũ in axiom. Oeconomicis axiom. 19. Idcircò Plato in libro de legibus parentum execrationes & vota iubet attendi, quod à Deo facilè exaudiantur, nihilq. ſit liberis pernitioſius, quam parẽtum execrationes. Et Syracid cap. 3. vere ait: ***Benedictio patris ædificat domos: maledictio matris eas dirimit.***

25 *An liberi propter peccata parentum à Deo interdum puniantur?*

SEntentia aſſirmatiua communi hominum cõ- *Pro theſi affirmatiua.*
ſenſu ita eſt approbata, vt nefas eſſe videatur, *Argumenta.*
illam in dubium vocare: præſertim cum eius veritatem non tantum hiſtoria & quotidiana experientia comprobet: ſed etiam ipſa lex diuina, quæ in ſecundo præcepto Decalogi aſſerit, ***Deum viſitare iniquitatem parentum in filiis in tertiam & quartam generationem.*** Vndè etiam ortum eſt illud Germanicum prouerbium: Was der Vatter boraet / das muß gemeinlich der Sohn *Pro theſi Negatiua.*
bezahlen. Nihilominus cum contrariarum ratio- *Argumenta.*
num conflictu veritatis lux clarior euadat: age proferemus argumenta, quæ pro theſi negante contra affirmantem militare videntur, cu-
iuſmodi ſunt hæc potiſſimum. 1 Quia Sacra ſcri- 1.
ptura alibi, tum inprimis Ezechielis 18. expreſsè reclamat theſi affirmanti quæſtionis. Cum enim Iſraelitæ inter ſe vterentur prouerbio illo: *Patres comederunt vuã acerbã & dentes filiorũ obſtupuerũt:* & ſic conquererentur ſe pœnas peccatorũ paternorũ luere: Deus ipſe quaſi vehemẽter improbãs prouerbiũ hoc interpoſito iuramẽto aſſerit, illud non amplius inter Iſraelitas auditum iri: Et poſtea v. 4. & 29. ſubiicit hanc rationem. *Anima, qua*

peccauerit, ipſa morietur: Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum.

2\. 2. Quia conſtans & perpetuum iuſtitiæ & rectæ rationis dictamen eſt, vt homo ob ſua, non aliena peccata puniatur. Ideoq; iniuſtum eſt & rectæ rationi aduerſum liberos ob peccata parentum à

3\. Deo puniri 3. Quia Deus non eſſet iuſtus, ſi innocentem ob peccata nocentis puniret, vt teſtatur Abraham Gen. 18. 25 Id autem fieret, ſi liberis pro-

4\. bis ob peccata parentum pœna infligeretur. 4. Quia ſolum peccatum eſt cauſa meritoria pœnæ. Ideoq; pœna dignus tantum is eſt, qui peccatum committit. Cum autem peccata parentum non ſint liberorum peccata; idcircò neq; pœnæ, quas parentes ſuis peccatis promeruerunt, liberis iuſtè poſſunt irrogari.

Quæſtio deciditur. Pro deciſione quæſtionis quidam reſpondent liberos ob peccata parentum à Deo puniri, ſi ipſi ea imitentur, aut etiam cumulent: non autem puniri, ſi ea auerſentur, & fugiant, Deiq; mandata, quantum in hac infirmitate humana fieri poteſt, obſeruent.

Officia liberorum inter ſe inuicem.

16 Quomodo liberi erga ſe inuicem ſeſe gerere debeant?

DVo ſunt generalia officia, quæ liberi, nempe fratres & ſorores inter ſe mutuò colere & exercere debent. 1. Primum eſt, vt ſeſe mutuo ex animo diligant. 2. Alterum eſt, vt inter ſe pacificè & concorditer viuant.

Rationes aſſerentes cur talia officia ſint præſtanda. Rationes pro hac ſententia ſunt. 1. Quia ſanctiſſimum & arctiſſimum ſanguinis ac cognationis vinculum vtrumq; officium à liberis exigit. 2. Quia mutua dilectio & concordia

dia animos liberorum arctè colligit & conſtringit, eoſq. promptos & validos reddit non tantum ad mutua beneuolentiæ officia ſibi inuicem præſtanda; ſed etiam ad facilè ſeſe aduerſus externos & iniurioſos aliorum inſultus defendendum. 3. Quia lætitiam & voluptatem maximam affert parentibus: ipſisque liberis laudem & commendationem parit. 4. Quia nihil turpius eſt, inhumanius & funeſtius ſimultate & diſcordia liberorum. Et ſicut mel in amariſſimam bilem conuertitur: Sic amor fratrum quo maior, eò in maius odium degenerat, niſi maturè occurratur. 3. 4.

Vt autem mutua dilectio & concordia inter liberos conſeruari poſſit, cauendum eſt non tantum parentibus, ne inæqualitatem in amandis & curandis liberis adhibeant: ſed etiam ipſis liberis, ne ſuſpicioni & inuidiæ locum concedant. Illa enim omnia ad maleuolentiam, diſſidium & odium mutuum liberorum feneſtram aperiunt. *Quid ſit cauendum.*

CAP. V.

De officiis heri & ſeruorum.

PRÆCEPTA.

1 *TAntum de officiis ſecundæ claſſis. Reſtant officia tertiæ claſſis; quæ herum & ſeruos, & conſequenter heram & ancillas concernunt:*

2 *Officia heri erga ſeruos alia ſunt generalia, alia ſpecialia.* *De officiis heri.*

3 *Generalia ſunt, partim humanum, man-*

ſuetum, beneficum & iuſtum ſeſe erga ſeruos præbere; partim iis eſſe cauſam exemplarẽ virtutis.

4 Specialia ſunt alia primaria, alia ſecũdaria.

5 Primaria ſunt, partim præſcribere & iniungere ſeruis certas operas, partim eorum laboribus certũ tempus & dimenſum præfinire, partim victum & mercedem debitam iis dare.

6 Secundaria ſunt, partim caſtigare ſeruos petulantes & improbos pro meriti ratione; partim diebus feſtis recreationem iis concedere; partim aduerſus aliorum iniurias eos defendere.

De officiis ſeruorum. *7 Officia ſeruorum alia herum, alia ipſos inter ſe reſpiciunt.*

8 Prioris generis ſunt, partim reuereri ſuum herum, eiq; in omnibus rebus honeſtis & licitis parere; partim ſedulò & fideliter mandata ſui heri, vocationisq; ſuæ munia exequi, partim omnes labores & actiones ſuas ad vtilitatem ſui heri conuertere.

9 Poſterioris generis ſunt, partim inter ſe cõcordiam alere; partim in expediendis negotiis domeſticis mutuas operas, mutuaq; auxilia conferre.

1 An doctrina de officiis heri & ſeruorum ſimul includat doctrinam de officiis heræ & ancillarum?

Sententia affirmatiua defenditur. CVm neq; ſacra Scriptura, neq; Philoſophia vſpiam ex profeſſo tractat de officiis heræ & ancilla-

ancillarum ſeu famularum, ſed tantum de officiis heri & ſeruorum, mirari quis poſſet, qui id fiat. Itaque ſciendum eſt, doctrinam de officiis heri & ſeruorum ſimul includere doctrinā de officiis heræ *Ratio.*
& ancillarum, ob ſequētes rationes. 1. Quia ſocie- 1.
tas inter herum & ſeruos includit ſocietatem inter heram & ancillas. 2. Quia quomodo herus 2.
erga ſeruos, & ſerui erga herum ſeſe gerere debent, eo modo etiam hera erga ancillas, & ancillæ erga heram. 3. Quia à principali parte plerun- 3.
que fieri ſolet rei denominatio. Illa autem non excludit, ſed includit partim minus principalem.
4. Quia dominium heræ, quod habet in ſeruos 4.
& ſeruas comprehenditur ſub dominio heri, non ſecus ac hera & materfamilias ſub perſona heri & patrisfamilias.

Statuitur theſis affirmatiua.

2 An maioris artis ſit regere, quam habere ſeruos?

Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. 1.
Quia habere ſeruos quilibet poteſt; regere autem, non item. 2. Quia regimen ſeruorum ſi de- 2.
bet eſſe rectum, & ad Oeconomiæ ſalutem appoſitum, præſupponit ſcientiam & prudentiam regendi ſeruos, cum auctoritate coniunctam: Poſſeſſio autē illorum non item. 3. Quia vniuerſa vir- 3.
tus heri, quatenus eſt herus, cōſiſtit in bene regēdis ſeruis. Vnde etiā herus bonus dicitur, non qui habet ſeruos, ſed qui iis benè ſcit vti. 4. Quia o- 4.
mnes actiones & labores ſeruorum, quatenus ſunt ſerui, à recto illorum regimine pendent, & ſine eo Oeconomiæ non ſunt fructuoſæ & ſalutares.
5. Quia ſerui ſunt inſtrumenta Oeconomica ani- 5.
mata. Ergo ſicut inſtrumētorum; ita etiam ſeruo-

uorum natura conſiſtit non in poſſeſſione, ſed in vſu. Vſus autem legitimus ſeruorum in recto illorum regimine cernitur. Proinde herus magis de bene regendis, quam de acquirendis ſeruis ſolicitus eſſe debet.

3. Quomodo herus ſeruos ſuos bene regere debeat?

De modo bene regendi ſeruos.

VT regimen ſeruorum ſit bonum & ſalutare, neceſſe eſt, 1. in genere, vt herus eos humaniter, manſuete, liberaliter & iuſte tractet cogitando, partim quod ſint homines, eiusdem ſecum originis & conditionis naturalis adeoq; contubernales & amici ipſius humiles; nec non conſerui reſpectu Dei ſupremi domini: partim quod ſerui ſint poſſeſſiones domus primæ & maxime neceſſariæ; &, per conſequens, optimæ & præſtantiſſimæ, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Oeconom. cap. 5. partim quod ſecundum Menandrum ἡδὺ δούλῳ δεσπότου χρηστοῦ τυχεῖν, hoc eſt, *ſuaue ſit ſeruo herum bonum nanciſci.* Idcirco rectè inquit Seneca epiſt. 48. *Viue cum ſeruo clemēter, viue comiter, imò ſic viue cum eo quemadmodum ſuperiorem tecum viuere velis.* 2. Vt bono exemplo virtutis iis præeat. Tales enim ſolent eſſe ſerui, qualis eſt ipſorum dominus. In ſpecie verò, 1. vt herus certas operas & labores ſeruis præſcribat & iniungat, ne tumultuariè & negligenter agant, 2. vt laboribus eorum certum tempus & demenſum præfiniat. Libentius enim ac alacrius homines tempore definito, quam indefinito, laborant: cum in illo finem aliquem laboris; in hoc nullum videant. 3. vt victum ad nutritionem & robur corporis ſufficiētem præbeat, ſed cum hac cautione, ne laſciui & petulantes eua-

1. In genere.

2. In ſpecie.

euadant. Quam ob cauſam etiam Ariſtotel. lib. 1. Oecon. cap. 5 docet, ſeruis vel nihil, vel parum vini dandum eſſe; quod illius potus homines etiam liberos petulantes efficere ſoleat. 4. vt mercedem debitam iis perſoluat Ἀμίσθων γὰρ οὐχ οἷόν τε ἄρχειν, *Non enim poſſibile eſt iis imperare, quibus nulla merces datur.* 5. vt ſeruos quandoque, neceſſitate poſtulante, verbis & factis moderate caſtiget. Sine enim caſtigatione petulantiores & deteriores euadunt. 6 vt iis quietem, & vacationem à laboribus ad recreandum corpus, & recolligendum illius vires concedat, nõ tantum nocturno tempore, ſed etiam diebus feſtis. Quies enim eſt condimentum laboris. 7. vt eos aduerſus aliorum iniurias defendat. Quod enim patronus eſt ſuo clienti, id herus debet eſſe ſuis ſeruis. 8. vt nimiam cum ſeruis familiaritatem fugiat, quippe quæ contemptum parit. Obſeruandum autem ſecundum Ariſtotelem lib. 1. Oecon. cap. 5. tria eſſe neceſſaria ſeruis, nempe opus, caſtigationem & alimentum: propterea quod alimentum ſine caſtigatione & opere petulantes efficiat: opus verò ſine caſtigatione & alimento, violenta res ſit, & debilitatem corporis inducat. Et hæc tria etiam Salomon Eccleſiaſt. cap. 33. v. 25. in ſeruis requirit, cum inquit: *Seruo debetur panis, caſtigatio & labor. Iugum & lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ: ſeruo maleuolo tortura & compedes: mitte illum in operationem ne vacet: multam enim malitiam docuit otium.* Hinc Caſus interpretans locum Ariſtotelis feſtiuè inquit: *Cibus ſine opere facit ex ſeruo porcum: opus ſine cibo, aſinum: caſtigatio ſine vtroq; canem.*

4 *An virtus ſerui tota ad herum ipſius ſit referenda?*

Protheſi aff.
Ratio.

SEntentiam affirmantem videtur defendere
1. Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. vltimo. Rationes
2. ſunt: 1. Quia herus eſt norma virtutis, quæ eſt in ſeruo. 2. Quia virtus ſerui eſt ὀργανικὴ καὶ διακονική, hoc eſt, *inſtrumentalis & miniſterialis*: totaque in eo cõſiſtit, vt heri ſui iuſſa rectè intelligere & exe-
3. qui poſſit. 3. Quia virtus ſerui eſt imperfecta. Ideoq; cum imperfectum ad perfectum ſit referendum: etiam illa tota ad herum ipſius, tanquam perfectum eſt referenda.

Quæſtio breuiter deciditur.

Et ſi verò hęc ſententia vera eſt de ſeruo & hero, quatenus ille conſideratur reſpectiuè vt ſeruus; hic verò vt probus & iuſtus herus: tamen concedi non poteſt de ſeruo & hero: quatenus ille conſideratur vel vt homo, vel vt membrũ Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ; hic verò vt herus improbus & iniuſtus.

5 *Quomodo ſeruus erga herum ſuum ſe gerere debeat?*

Officia ſeruorum erga herum explicantur.

VVlgo officium ſerui in duobus dicitur conſiſtere. 1. vt ſit fidelis erga ſuum herum. 2. vt ſit induſtrius. Quæ ſententia etſi ſuo modo vera eſt; tamen omnes partes officii ſeruilis perfectè non explicat. Neceſſe enim eſt, ſi ſeruus munere ſuo probè fungi velit, vt 1. ſuum herum reuereatur, eique in omnibus rebus honeſtis & licitis pareat. 2. vt ſedulò & fideliter mandata ſui heri, vocationiſque ſuæ munia exequatur. 3. Vt labores & actiones ſuas omnes ad vtilitatem ſui heri conuertat. Et hæc etiam à ſeruis ſcriptura Sacra exigit, cum ad Coloſſ.

loſſ. 3. ait. *Serui obedite dominis carnalibus per omnia, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, dominum timentes.* Item ad Epheſ. 6. *Serui obedite dominis carnalibus in timore, & tremore, & ſimplicitate cordis, ſicut Chriſto.* Quò reſpexit etiam Apelles, cùm olim ſeruum ita graphicè depingeret, vt aures aſininas, nares porcinas, manus omni inſtrumentorum genere refertas, humeros patulos, macilentum ventrem, pedes ceruinos, labia duabus ſeris clauſa & obſerata haberet. Per aures enim aſininas ſignificabat pictor ille præſtantiſſimus tarditatem ſerui in audiendo conſilio: per nares porcinas, velocitatem in olfaciendo herili commodo: per manus omni inſtrumentorum genere refertas, voluntatem promptam ad omnia opera ſubeunda: per humeros patulos, robur ad omnia onera ſuſtinenda: per macilentum ventrem, vitæ frugalitatem: per pedes ceruinos agilitatem corporis; per labia ſeris duabus clauſa; taciturnitatem. Quod ſi interdum ſeruus herum nactus eſt iracundum, difficilem & moroſum, non oblocutionibus, iurgiis, & maledictis illum ex animi impotentia irritet: ſed verbis & obſequiis, quantum fieri poteſt, lenire ſtudeat, memor illius Dyſtichi:

Sit aſinus, quemcunq; aſinum ſors aſpera fecit,
Qui placide ſortem ferre ſcit, ille ſapit.

Multò vero minus ex impatientia vocationem ſuam deſerat, aliumque dominum quærat, Nam quocunque tandem ſe vertat, ibi do-

minum inueniet: Imò plerunque ex iuſſu Deæ Nemeſis ab olitore & figulo ad cerdonem cum aſino Æſopico delatus ſuæ pelli periculum imminere experietur, & flammam fugiens in medium ignem incidet.

6 Quomodo ſeruus erga conſeruum ſuum ſeſe gerere debeat?

NOn ſatis eſt, vt ſeruus erga herum ſuum benè ſeſe gerat, niſi etiã cum conſeruis ſuis, ita vt decet, conuerſetur. Sunt autem duo in primis officia, quæ ſeruus conſeruis ſuis debet, vnum concordiæ, alterum mutui auxilii. Vtrumque neceſſarium eſt, partim vt rixæ & tumultus domeſtici, quos parit diſcordia ſeruorum vitentur: partim vt negotia domeſtica eo melius & celerius perficiantur. Felicius enim procedit opus, quod multæ manus leuant. Vtrumq; etiam præſtabitur, ſi 1. inter ſeruos mutúa charitas & beneuolentia vigeat. 2. ſi alter alterius ſalutem, fauorem & famam candidè & fideliter prouehere ſtudebit, neque falſis & iniquis delationibus vnus alterum in odium herile inducere, aut planè loco ſuo diſturbare conabitur. 3. ſi alter alterum in laborando, quantum par eſt, iuuet, eiuſque operas promoueat.

CAP. VI.

De adminiſtratione rei familiaris.

Adminiſtratio rei familiaris quid ſit.

PRÆCEPTA.

1 FVit adminiſtratio familiæ. Reſtat adminiſtratio rei familiaris, quæ nihil aliud eſt,

eſt, quā diſpenſatio bonorum domeſticorum, ad ſalutem totius domus pertinens.

2 *In illa conſiderandæ ſunt, tum cauſæ efficientes, tum partes.*

3 *Cauſæ efficientes aliæ ſunt principales, aliæ inſtrumentales.*

4 *Principales ſunt, partim Paterfamilias, partim Materfamilias. Illis.n.cōuenit, vt curā & adminiſtrationem rei familiaris principaliter ſuſcipiant, eamq; inter ſe partiantur: & ſic opera ſua vocationi & perſonæ congrua exequantur.* Illius Cauſa explicantur.

5 *Inſtrumentales ſunt, quæ Patrifamilias vel Matrifamilias inſeruiunt ad rem familiarem benè diſpenſandam.*

6 *Suntq; aliæ ſubſtantiales, aliæ accidentales.*

7 *Subſtantiales aliæ ſunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ.*

8 *Ordinariæ ſunt ſerui & ancillæ, quatenus ordinariam operam conferunt ad rei familiaris adminiſtrationem melius & facilius obeundā.*

9 *Extraordinariæ ſunt operarii, qui extra ordinem ad certum tempus operam ſuam certâ mercede elocant.*

10 *Accidentales ſunt virtutes Oeconomicæ, quibus Paterfamilias, quemadmodum etiā conſequenter Materfamilias, ad rem dome-*

Digitized by Google

ſticam rectè adminiſtrandam opus habent.

11 *Eius generis ſunt prudentia, pietas, vigilãtia, ſedulitas, parſimonia, frugalitas, liberalitas & iuſtitia.*

12 *Prudentia exigit, vt Paterfamilias, 1. omnium domeſticarum poſſeſſionum numerum cognitum habeat, earumq́; inuentarium conſcriptum apud ſe ſeruet. 2. vt tabulas accepti & expenſi in promptu habeat. 3. vt rationem benè conſeruandi & vſurpandi rem familiarem calleat.*

13 *Pietas exigit, vt in omnibus rebus à Deo agendi primordia captat, ab eoq́; benedictionem & ſucceſſum felicem precetur.*

14 *Vigilantia exigit, vt Paterfamilias, primus e lecto ſurgat, & poſtremus cubitum eat.*

15 *Sedulitas exigit, vt omnibus operis ſeruorum præſit, vel per ſe, vel per vicarium; eaſq́; ordinet & dirigat & inſpiciat: in primis verò vt certo tempore generalem quaſi luſtrationem rei familiaris, præſertim ſupellectilis inſtituat.*

16 *Parſimonia exigit, vt ſumptus immoderatos; & non neceſſarios fugiat: in primis verò caueat, ne ſumptus maior ſit, quam reditus.*

17 *Frugalitas exigit, vt in victu & veſtitu ſibi ſuiſq́; comparando modum obſeruet, declinato omni luxu, æriſq́; alieni conflatione.*

18 *Li-*

Digitized by Google

18 *Liberalitas exigit, vt de ſuis bonis aliis moderatè benefaciat euitata partim prodigalitate, partim fideiuſſione temeraria & pernicioſa.*

19 *Iuſtitia exigit, vt bona ſua domeſtica, neq; iniuſtè poſſideat neq; mala fide diſpenſet.*

20 *Adhuc de cauſis adminiſtrationis rei familiaris. Reſtant eiuſdem partes, quarum vna cura benè conſeruandi & tuendi rem familiarem; altera cura benè eadem vtendi. Illa Græcè dici poteſt φυλακτικὴ, ἢ τηρητικὴ; hæc χρηστικὴ ἢ ἀπολαυστική.* **Partes adminiſtrationis rei familiaris explicantur.**

21 *Cura benè conſeruandi & vtendi eſt prima pars adminiſtrationis rei familiaris quæ in recta eiuſdem conſeruatione & cuſtodia conſiſtit.*

22 *Illa perficitur partim admonitione cauſarum conſeruantium; partim propulſatione cauſarum corrumpentium.*

23 *Cauſæ conſeruatrices rei familiaris ſunt partim cura benè diſponendi, ordinandi & diſtinguendi; partim cura benè ſuſtentandi, aſſeruandi & tuendi poſſeſſiones domeſticas.*

24 *Cauſæ corrumpentes ſunt omnis generis mala, quæ damnum & corruptelam poſſeſſionibus domeſticis inferre poſſunt.*

25 *Cura benè vtendi eſt altera pars adminiſtrationis rei familiaris, quæ in recto eiuſdem vſu conſiſtit.* O 4

26 Eaq; vel eſt δαπανητικὴ, erogatiua, *vel* εὐεργετικὴ *beneficiua.*

27 Δαπανητικὴ *eſt, quæ ſumptus cautè & moderatè erogat ad neceſſitatem, honeſtatem, vtilitatem & delectationem.*

28 Eaq; partim victus; partim veſtitus, partim ornatus; partim aliarum rerum ad Oeconomicam pertinentium, quatenus illarum cōparandarum gratia ſumptus ſunt faciendi, curam complectitur & moderatur.

29 Εὐεργετικὴ *eſt, quæ aliis de bonis domeſticis pro ratione neceſſitatis & facultatis benefacit.*

1 An recta rei familiaris adminiſtratio ſit neceſſaria?

Pro theſi affirmatiua.

Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia ad ſalutem domus promouendam non ſatis eſt bene acquirere rem familiarem; ſed maximè requiritur, vt acquiſita rectè adminiſtrētur. Vnde etiam Xenophon in Oeconom. boni Oeconomi officium eſſe ait, εὖ οἰκεῖν τὸν ἑαυτοῦ οἶκον, *benè adminiſtrare ſuam domum.* 2. Quia res familiaris benè adminiſtrata creſcit, malè verò, decreſcit. 3. Quia ad rectam adminiſtrationem rei familiaris pertinet, partim cura bene conſeruandi & cuſtodiendi eam, partim cura eadem benè vtendi. Vtraq; autem eſt valdè neceſſaria. Ac prioris quidē neceſſitas indè patet. 1. Quia *Non minor eſt virtus, quam quærere parta tueri*, vt Poëta Ouidius canit: Imò ſecundum Claudianū: *Plus eſt ſeruaſſe repertum quam quaſiſſe.* 2. Quia omnis labor, qui in acquiren-

Neceſſitas conſeruandi, probatur.

quirendam rem familiarem impenditur, fruſtrà & inutiliter ſuſcipitur, niſi cum ea coniungatur cura eandem tuendi & conſeruandi. Vnde Ariſto el lib. 1. Oecon. cap. 6. docet: Oeconomum non tantum debere eſſe aptum ad acquirendum; ſed etiam ad tuendam rem familiarem: eo quod nulla ſit vtilitas acquiſitionis à conſeruatione ſeparata. Et hanc ſuam aſſertionem confirmat argumento parium, quod ſcilicet acquirere rem familiarem, & non conſeruare perinde ſit, ac cribro aquam haurire, aut in dolium perforatum humorem aliquem infundere. 3. Quia ſine cura tuendi rem familiarem neq; paupertas euitari, neq; ſufficientia bonorum neceſſariorum haberi poteſt. 3.
Hinc rectè inquit Richterus axiom. Oecon. 122. Ex profuſionibus paupertas, & contrà: Qui colit Seruatium, coletur à Vincētio. Wer behelt/ wann er hat/ der nimpt wann er darff. *Bonus Seruatius facit bonum Bonifacium.* 4. Quia incuria & negligentia conſeruandi rem familiarem certiſſima cauſa eſt, & quaſi mater paupertatis & infelicitatis domeſticæ. 5. Quia ſcriptura ſacra non tantum præcipit, vt neceſſaria vitæ ſubſidia à Deo petamus; ſed etiam vt reliquias bonorum à Deo ſuppeditatorum colligamus, & in vſus neceſſarios conſeruemus. *Seruatium* 5 4.

Neceſſitas bene utendi probatur. Poſterioris verò neceſſitas inde liquet. 1. Quia bonus Oeconomus eſt, non qui multas acquirit & poſſidet diuitias; ſed qui illis benè vtitur. Et propterea Xenophon definit Oeconomum. ὅτις ἂν ἐπίσταται χρῆσθαι τῷ οἴκῳ. Et Ariſtoteles in loco antea citato docet Oeconomum debere eſſe χρηστικὸν τῶν ὑπαρχόντων, *idoneum ad vtendum facultatibus.* 2. Quia 1. 2.

acquiſitio & poſſeſſio diuitiarum non eſt vtilis, ſed noxia Patrifamilias, niſi bonus eorum vſus accidat. Idcircò Iſocrates hortatur Demonicum, vt diligat diuitiarum non moderatam acquiſitionem & poſſeſſionem, ſed moderatum vſum.
3. 3. Quia finis diuitiarum eſt inſeruire tum ad propagandam diuini nominis gloriam, tum ad ſuccurrendum indigentiæ noſtræ & aliorum. Illum autem finem aſſequi non poteſt Paterfamilias niſi curam adhibeat benè vtendi diuitias.

Pro theſi affirmatiua.
Ratio.

2 *An Paterfamilias omnium, quæ in domo ſunt & fiunt, curam ſuſcipere debeat?*

1. Sententiam affirmantem defendit Ariſtoteles lib. 1. Oecon. cap. 6. Argumenta ipſius ſunt. 1. Quia Perſicum inſtitutum eſt, patremfamilias omnia, quæ in domo ſunt, diſponere & inſpicere.
2. 2. Quia nemo curat æquè aliena ac propria. Ideoque verum & memorabile eſt tam Perſæ, quam Afri apophthegma. Ille enim interrogatus, *quid equum maximè pinguefaceret?* reſpondit, *domini oculus.* Hic verò interrogatus, *quod ſtercus eſſet optimum? Domini*, inquit, *veſtigia.*
3. 3. Quia ſolutus & negligens Paterfamilias non poteſt ſuos domeſticos reddere diligentes & ſedulos. Cum quo etiam conſentit illud Xenophontis in Oeconomico: Οὐχ οἷόν τέ ἐστιν ἀμελῆ αὐτὸν ὄντα ἄλλους ποιεῖν ἐπιμελεῖς. τὸν δὲ ἐπιμελητικοὺς βουλόμενον ποιήσασθαι τινὰς καὶ ἐφορευτικὸν δεῖ εἶναι τῶν ἔργων καὶ ἐξεταστικόν. *Non fieri poteſt, vt is, qui negligens eſt, alios diligentes reddat. Atq; eum, qui alios diligentes reddere velit, oportet opera ſua inſpicere & inquirere.* Idcircò

cò etiam Ariſtoteles citato loco, & Cato lib. 4 de re ruſtica, *Boni patrisfamilias eſſe docet, prius cubitu ſurgere, & poſtremus cubitum ire.* 4. Quia 4.
eiuſmodi cura à Patrefamilias ſuſcepta, non tantum virtutis laudem ei parit; ſed etiam ad Oeconomiam rectè adminiſtrandam eſt vtilis.

Pro theſi Negatiua. Obiectio.

Sed contra hanc ſententiam obiici poteſt. 1. 1.
Fieri non poſſe vt quilibet Paterfamilias omnium, quæ in domo ſunt & fiunt curam ſuſcipiat: cum ſæpe priuatis ſuis ſtudiis aut negotiis publicis à rerum domeſticarum cura abſtrahatur. 2. 2.
Ariſtotelem ſibi contradicere non tantum in capite ſuprà citato, cum ait, curanda quædam eſſe à marito quædam ab vxore, prout opera Oeconomiæ ſeu adminiſtrationis domeſticæ inter ſe diuiſerunt; ſed etiam in ſequenti capito, cum inquit: τῷ ἀνδρὶ τὰ ἐν τῇ οἰκίᾳ πραττόμενα εἰδέναι ἀπρεπές. *Non decet virum, ea, quæ in domo ſunt, cognoſcere.*
3. Id pugnare expreſſe cum effato Taletis, qui in 3.
conuiuio ſeptem ſapientum, vt Plutarchus narrat dixit, *Optimum illam domum eſſe, in qua otij plurimum domino agere liceat.*

Soluuntur Obiectiones.

Reſpondeo pro Ariſtotele, ad primam obiectionem, Patremfamilias omnium, quæ in domo 1.
ſunt, & fiunt curam ſuſcipere debere: ſi non ſemper immediate & per ſe: ſaltem mediatè per vicarios, quibus partes officii ſui ad tempus commiſerit, cuiuſmodi ſunt Materfamilias & procurator. Et propterea etiam Ariſtotel. libr. 1. Oeconom. cap. vltimo vult, vt proba Materfamilias omnium, quæ in domo fiunt, curam habeat

Digitized by Google

ſecundum leges conſtitutas. Ad alteram Obiectionem reſpondeo, inſpectionem quidem & curam generalem omnium rerum, quæ in domo ſunt & fiunt, non eſſe alienam à Patreſamilias: ſed ſpecialem, eamq; cum executione & effectione coniunctam. illum dedecere: cum alia ſint virilia; alia muliebria; alia ſeruilia opera. Et de tali cura intelligenda eſſe dicta Ariſtotelis, aut contradictionis crimen ei impingendum.
3. Ad tertiam Obiectionem reſpódeo per otium in dicto Thaletis intelligendum eſſe, aut honeſtum & liberale otium, quod curam domeſticam non excludit: aut ſi intelligendum eſt otium iners, ignauum & turpe, Thaletis dictum eſſe reiiciendum.

3 *An cura cuſtodiendi bona domeſtica magis conueniat Matrifamilias, quam Patrifamilias?*

Pro theſi aff. Ratio

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia Materfamilias à natura aptior eſt ad cuſtodiendum bona domeſtica quam paterfamilias, cum ſit timidior: Timor autem ad benè cuſtodiendum multum momenti afferat, vt docet Ariſtotéles & Xenophon in Oeconomicis.
2. 2. Quia Paterfamilias cura rerum, quæ extra domũ ſunt, ſiue priuatim, ſiue publicè peragendę eſt occupatus. Ideoq; ad cuſtodiendum bona domeſtica minus poteſt eſſe intentus, quam Materfamilias.
3. 3. Quia primarium officium patrisfamilias eſt acquirere bona, eaq; in ædes importare. Ideoque etiam à Natura accepit corpus robuſtum, & laboris magis patiens. Matrisfamilias verò munus primarium eſt, ea, quæ ſunt acquiſita, & in ædes importata, ſuſcipere & cuſtodire. Vnde etiam à Demo-

Digitized by Google

Demoſthene in orat. contra Niceram dicitur φύλαξ πιστὴ τῶν ἔνδον, *cuſtos fidelis rei familiaris.* Et niſi hoc fiat idem maritis im portátibus accidit quod iis qui in dolium perforatum aquam infundunt. 4. Quia Paterfamilias negotiorum ſuorum exequendorum gratia non ſemper poteſt eſſe domi; ſed ſæpe cogitur extra ędes verſari, nonnunquam etiam peregre abire. Materfamilias autem contra ſuo officio recte fungitur, ſi domi ſemper maneat, & rerum domeſticarum curam ſedulam ſuſcipiat. Idcirco etiam Xenophon recte aſſerit in Oecon. τῇ γυναικὶ κάλλιον μένειν ἔνδον ἢ θυραυλεῖν. τῷ δὲ ἀνδρὶ αἴσχιον ἔνδον μένειν, ἢ τῶν ἔξω ἐπιμελεῖσθαι. *Mulieri honeſtius eſt domi manere, quam foris verſari. Viro verò turpius eſt domi manere, quam externa curare.* Et Ariſtoteles lib. 1 Oecon cap. vltimo inquit: Οὐχ οὕτως ἀνδρὶ ἀπρεπὲς τῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ μεταχειρίζεσθαί τι, ὡς τῇ γυναικὶ τῶν ἔξω πολυπραγμονεῖν. *Non ita dedecet virum domeſtici operis aliquid efficere, quam mulierem curiosè in exteriora inquirere.* Idem docet Dion in Oeconom. referente Stobęo ſerm 72. cum ait: ἴδια γυναικὸς τὸ οἰκουρεῖν, καὶ ἔνδον μένειν, καὶ τὸ ἐνδέχεσθαι καὶ θεραπεύειν τὸν ἄνδρα. *Propria mulieris ſunt cuſtodire domum, & intus manere, & expectare ac colere maritum.*

4 *An Paterfamilias non tantum inuentarium ſuarum poſſeſſionum; ſed etiam tabulas accepti & expenſi in promptu habere debeat?*

Pro theſi affirmatiua Ratio.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia lex prudentiæ Oeconomicæ hoc exigit. 2. Quia Paterfamilias ita maiorem & diſtinctiorem curam ſingularum rerum habere poteſt. 3. Quia ſic melius & citius animaduertere poteſt,

quid ſit vel amiſſum, vel corruptum, vel doloſe
4. ſubtractum. 4. Quia ſic ſummam redituum ac ſimptuum annorum accurate ſcire poteſt, caue-reque ne ſumptus excedant reditus. Id quod inter præcepta & media rei familiaris bene adminiſtrandæ non infimum locum occupat, & ab Ariſtotele traditur lib. 2. Oeconom. his verbis: *μάλιστα σκοπεῖν προσήκει τὸ τὰ ἀναλώματα μὴ μείζω τῶν προσόδων γίγνεσθαι.* *Maximè conſiderandum eſt, ne ſumptus*
5. *maiores ſint, quam reditus.* 5. Quia ſic cognoſcere poteſt, non tantum vtrum plures habeat poſſeſſiones fructuoſas, quam infructuoſas; ſed etiam qui fructus aut non proueniant, cum poſſint prouenire, aut quinā poſſint maiores fieri, cum nunc ſint exigui. Quæ duo bono Oeconomo ſcitu neceſſaria ſunt, vt docet Ariſtotel. lib. 1. Oecon. c. 6.
6. 6. Quia magnum imprudentiæ & incuriæ argumentum eſt, Patremfamilias, neq; ſuarum poſſeſſionum, neq; vel redituum, vel ſumptuum annuorum, numerum habere cognitum & exploratum. Et ex eo multa malorum ſeges pullulare ſolet.

Pro theſi affirmatiua.

5 *An bona domeſtica, præſertim ſupellectilia bene ſint diſponenda, ordinanda & diſtinguenda?*

Ratio.

1. STatuitur theſis affirmatiua: Rationes ſunt. 1. Quia ſicut in aliis rebus: Ita etiam in Oeconomia ἐστὶν οὐδὲν οὕτως οὔτ' εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις, *Nihil adeo vtile & pulchrum eſt homi-*
2. *ni, ac ordo*, vt Xenophon docet in Oeconom. 2. Quia inter cauſas conſeruantes rei familiaris numeratur cura eam bene diſponendi, ordinandi &
3. diſtinguendi. 3. Quia inſtrumenta domeſtica, quę ſunt

ſunt rarioris vſus ſeparari debent ab iis, quæ ſunt quotidiani vſus, vt docet Ariſtoteles lib. 1. Oeconom. cap. 6. Id autem fieri non poteſt, niſi diſtinctis locis reponantur. 4. Quia cum poſſeſſiones 4.
domeſticæ ſint diuerſæ naturæ & conditionis, & qualitatis, fieri non poteſt, vt in quolibet loco, quælibet poſſint conſeruari & cuſtodiri. Ideoque opus eſt, vt inter ſe diſtinguantur, & in diuerſis locis, prout natura ipſarum exigit, ponantur. 5. Quia ad expeditum vſum & promptitu- 5.
dinem inueniendorum inſtrumentorum domeſticorum multum valet Laconicum illud: χρὴ ἓν ἕκαστον ἐν τῇ αὐτοῦ χώρᾳ κεῖσθαι. *Oportet vnum quoque in ſuo loco repoſitum eſſe.* 6. Quia ſic 6.
melius & citius obſeruari & animaduerti poteſt, quid deeſt, & deſideretur, necne. 7. Quia 7.
ἀταξία ſeu confuſio, ſicut in aliis rebus, ita etiam in Oeconomia eſt turpis & pernitioſa. Ideoque bono Patrifamiliâs diligenter fugienda.

6 *An Paterfamilias debeat eſſe ſumptuoſus, & emax?*

Pro theſi Negatiua.
Ratio.

STatuitur theſis negatiua. Rationes ſunt. 1. 1.
Quia ſumptuoſitas & emacitas pugnat cum parſimoniâ Oeconomicâ, quæ medium primarium eſt, tuendi & conſeruandi rem familiarem.
2. Quia exhauriunt & diſſipant facultates, & di- 2.
uitias domi acquiſitas & collectas. 3. Quia pro- 3.
creant indigentiam bonorum ad vitam domeſticam benè degendam toti familiæ neceſſariorum, vt teſtatur vulgatum dyſtichon:

Ædificare domos multas, & paſcere multos
Ad paupertatem proximus eſt aditus.

4. 4. Quia idcircò Cato in lib. de re ruſtica cap. 2. ait: Patremfamilias vendacem, non emacem eſſe oportet. Et Cicero in Paradoxis, vectigal vocat, *non eſſe emacem.*

Obiectio. Neq; valet, ſi quis obiiciat. 1. Emptionem eſſe
1. medium acquirendi & augendi rem familiarem. Ideoq; Patremfamilias debere eſſe emacem, ſi
2. modo boni Oeconomi officio fungi velit. 2. Patremfamilias non tantum debere eſſe bonum condum, ſed etiam bonum promum. Ideoque ab officio illius non abhortere ſumptuoſitatem.

Solutio Obiectionum. In priore enim obiectione eſt fallacia à dicto
1. ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. Non enim quælibet emptio eſt medium acquirendi & augendi rem familiarem: ſed tantum ea, quæ eſt moderata, & verſatur circa res fructuoſas & neceſſarias. Nam ſi quis velit immoderatè quodlibet emere; præſertim ex iis, quæ ſunt infructuoſa, & non neceſſaria, ille non acquirit, ſed perdit rem familiarem. Et propterea etiam Ariſtoteles lib. 1. Oecon. cap 6. præcipit: Δεῖ τῶν κτημάτων πλείω κάρπιμα εἶναι τῶν ἀκάρπων, *Oportet poſſeſſiones plures eſſe*
2. *fructuoſas, quam infructuoſas.* In altera obiectione eſt fallacia conſequentis. Licet enim antecedens ſit verum: indè tamen conſequens non rectè infertur: cum bonus promus dicatur non is, qui ſumptuoſus eſt & prodigus; ſed qui de bonis reconditis promit, vbi, quando cui, quantum, quomodo, & cuius gratia promere decet.

7 *An*

7 *An Paterfamilias omnem luxum in victu, veſtitu, aliisq; rebus vitare debeat?*

Sententia affirmatiua.

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. *Ratio.*
Quia luxus eiuſmodi facit hominē ſumptuo- 1.
ſum & emacem. 2. Quia aduerſatur frugalitati & 2.
parſimoniç quæ Patremfamilias maximè decent, & ad augendam, conſeruandamq; rem familiarem multum adiumenti adferunt. Vndè etiam Cicero in vltimo Paradoxo ait, *magnum vectigal eſſe parſimoniam.* 3 Quia Paterfamilias omnia ad 3.
mediocritatem dirigere debet, nihilque agere, quod illius limites excedat. Vt enim turpe eſt ſordida & indecora veſte vti: ita inuidioſum vti nitidiore ac elegantiore atque par eſt: præſertim cum res familiaris minus ſuppetit, vel vbi æs alienum contractum eſt. 4 Quia Pittacus in conuiuio ſe- 4.
ptem ſapientum, optimè conſtitutam illam domum pronunciat, cum neq. ſuperfluum aliquid eſt, neq; neceſſarium quicquam deeſt. 5. Quia Pa- 5.
terfamilias ſecundum præceptum Luciani tanquam moriturus frui debet bonis ſuis; tanquam verò ſemper victurus iiſdem parcere. 6. Quia vt 6.
Plutarchus ait in præceptis nuptialibus ἀνὴρ φιλοσώματος καλλωπίστριαν γυναῖκα ποιεῖ. φιλήδονος ἑταιρικὴν καὶ ἀκόλαστον φιλάγαθος καὶ φιλόκαλος σώφρονα καὶ κοσμίαν. hoc eſt, *Vir corporis ſtudioſus uxorem facit ornatui deditam: voluptarius, amatoriam & luxurioſam: boni verò & honeſti amans, temperantem & modeſtam.*
7. Quia luxus eiuſmodi non tantum corpus, & a- 7.
nimum corrumpit, ſed etiam rei familiaris perniciem & ruinam ſecum trahit. 8. Quia modus in o- 8.
mnibus rebus eſt optimus. Ergo etiam in victu,

Digitized by Google

veſtitu, aliiſque rebus domeſticis eſt commen-
8. dabilis & vtilis. 9. Quia luxus eſt mater auaritiæ & iniuſtitiæ, vt docet Muſonius in libro de ſupellectile teſte Stobæo ſerm. 83. Οὔτε γὰρ τρυφῶντα ἐστὶν αὐτὸν μὴ πολυτελῆ εἶναι· οὔτε πολυτελῆ ὄντα ὀλίγα βούλεσθαι ἀναλίσκειν· βουλόμενον δὲ πολλὰ μὴ τὸ πορίζειν πολλὰ ἐπιχειρεῖν· οὐδ᾽ ἂν πορίζειν ἐπιχειροῦντα πολλὰ μὴ πλεονεκτεῖν, καὶ ἀδικεῖν. *Non enim fieri poteſt, vt is, qui luxurioſus ſit, non ſit ſumptuoſus: neque vt ſumptuoſus, pauca velit inſumere: neque vt qui multa velit inſumere, non conetur multa acquirere: neque qui multa conetur acquirere, non ſit a-*
10. *uarus & iniuſtus.* 10. Quia Paterfamilias operam dare debet, vt omnes ſuos domeſticos non tantum à molli & delicata vita; ſed etiam à nimio corporis veſtitu & ornatu abducat, & ad frugalitatem, modeſtiam, humilitatem, aliasq; virtutes aſſuefaciat. Id autem fieri non poteſt, niſi luxum in victu, veſtitu, aliiſq; rebus domeſticis fugiat.

Protheſi Negatiua. Ratio

8 *An materfamilias mundi, & ornatus muliebris nimium debeat eſſe ſtudioſa?*

1. STatuitur theſis Negatiua. Rationes ſunt: 1. Quia omnis luxus in veſtitu fugiendus eſt ma-
2. trifamilias. 2. Quia nimium ſtudium mundi & ornatus muliebris eſt inſtrumentum luxuriæ, irritamentum libidinis, & peſtis rei familiaris. 3.
3. Quia verum ornamentum mulieris eſt, quod eam meliorem & honeſtiorem facit. Id autem non aurum & gemmæ, neque veſtes pretioſæ præſtant; ſed virtus, tam intellectualis quam moralis; in primis verò prudentia Oeconomica,

nomica, temperantia, modeſtia, pudicitia, & id
genus aliæ. Hinc rectè Nicoſtratus citante Sto-
bæo ſerm. 73. inquit; *aurum honeſta & pudica
matrona oneri potius, quam ornamento eſſe.* Et
Patricius libr. 4. de Repub tit. 5. vera orna-
menta fœminarum eſſe dotes modeſtiæ, pudi-
citiæ, pudoriſque laudes, quæ nullo auro, nul-
lis gemmis & margaritis comparari poſſunt.
4. Quia ſicut vnguento non eget, qui per ſe 4.
bene olet: ita externo & pretioſo corporis or-
natu non indiget fœmina, quæ in ſe mentem
habeat virtutibus exornatam. Hinc rectè di-
ci ſolet, *id quod per ſe amabile eſt, non opus ha-
bere ſuperfluo ornatu.* 5. Quia proximè & ſe- 5.
cundum virtutem maximum ornamentum mu-
lieris eſt, partim mariti virtus, partim liberi
bene educati & inſtituti. Hinc Philonis vxor,
vt Stobæus refert ſerm. 72. interrogata quam-
obrem ſola ex aliis in conuentu non geſtaret
ornatum aureum, reſpondit, *pro ornamento
ſibi ſufficere mariti virtutem.* Et Cornelia Æ-
mylii Pauli vxor, cum mulier quædam Cam-
pana ad eam diuertiſſet, & lapillos, aurum,
ac pretioſam veſtem oſtentaret, rogaretque vt
ipſa ornamenta ſua ſibi oſtenderet; verbis eam
protraxit, donec è ludo literario filii redirent,
quibus adductis, *reſpice*, inquit, *lautam ſupel-
lectilem meam omniaque ornamenta, ac delitias
meas.* Cuius exemplo commoueri debent hone-
ſtæ matronæ, vt præ liberis probis omnia alia or-
namenta, quæ ad immoderatum mundum mu-
liebrem pertinent, contemnāt. 6. Quia mulier ni- 6.
mis munda, & cultu plerunq; eſt immunda, & mi-

nus pudica, vt docet Richterus axiom. 244. Oeçono. Ideoq; malè ſperandum eſt de illa muliere, quæ foris tantum pulchritudinis laudem quærit in veſte pretioſa, non autem in virtute animi. Perdit enim veram & internam pulchritudinem, dum externam induit.
7. 7. Quia omnis fucus dedecet honeſtam matronam, tum quia turpe eſt ad exemplum hiſtrionum aliam ſe oſtentare, quam reuera eſt, tum quia adulterinus & commentitius color non tantum natiuæ venuſtati nocet, quatenus facit, vt rugæ ante tempus faciem arent, oculi caligent, dentes nigreſcant, animaq; vxoris, vt Plautus ait, *peſſimè oleat*; ſed etiam non diu durat, & ablatus mulierem irriſioni & contemptui aliorum exponit: tum quia ſecundum Demadem arx pulchritudinis eſt pudor, non color fictitius mulieris.
8. 8. Quia mulieres comtæ, fucatæ & ornatæ ſunt ſimiles templis Ægyptiorum, in quibus porticus, veſtibula, lucive magnificè extruebantur; atria multis columnis erecta erant: parietes lapidibus externis & artificioſè depictis ſplendebant: ædes auro & argento & ære collucebant ex variis Indicis & Æthiopicis lapillis: adyta vero intextis adumbrantur peplis. Sed dum penetralia templi aditus ſubiſſes, & ad id, quod eſt præſtantius, ſpectandum properaſſes: & imaginem, quæ in templo habitaret quæſiuiſſes: ſacerdos quiſpiam ex his, qui in templo ſacrificabant, venerando quidem vultu apparebat; ſed velum adyti tollens, numen ridiculum oſtendebat, animalia bruta, felem, crocodilum, vel ſerpentem indigenam, vel aliam belluam, quæ templo indigna eſt, & digno potius antro vel ſpelunca: apparebatq; ita

Deus

Digitized by Google

Deus Ægyptiorum bellua, quæ ſuper ſtragula purpurea volutabat. Richterus axiom. 243. Oeconomico.

Interim tamen opera danda eſt matrifamilias, vt ſit terſa, munda, pexo capillo, ac nitido, veſteſque habeat honeſtas, ſuoq; & mariti ſtatui & conditioni conuenientes. Vt enim exceſſus in mundo & ornatu muliebri eſt fugiendus: ita etiam defectus eſt cauendus, ne ſcilicet ſqualida, pannoſa, ſordidaq; incedat, & ſic marito dedecori potius ſit, quam honori & ornamento. *Admonitio ſubiicitur.*

9 *An Atticus modus adminiſtrandi rem familiarem ſit præferendus Perſico.*

ARiſtoteles lib. 1. Oecon. cap. 6. duos modos receſet adminiſtrandi rem familiarem apud antiquos vſitatos, vnum vocat *Atticum*, alterum *Perſicum*. Prior modus eſt, cũ Paterfamilias quotannis omnes fructus ſuorum agrorum integre vendit, nullis ſeruatis: ea autem, quæ ad victum ſunt neceſſaria, aliundè emit. Poſterior modus eſt, cum Paterfamilias ſuperfluos tantum fructus agrorum vendit: neceſſarios verò ad vſum domeſticum ſeruat. Etſi verò prioris auctor dicitur fuiſſe Pericles, & ad expeditam redituum annuorum ſubducendam Patrifamilias, non parum cõferat: præſertim in paruis Oeconomiis, vbi exigui ſunt fructus annui & ad domus ſuſtentationem non ſufficientes, ita vt opus ſit Patremfamilias meliores vendere & viliores, quibus ipſe vtatur, emere, atq; ex illa permutatione aliquid lucrari: tamen in magnis Oeconomiis poſterior modus videtur preferendus priori: tum quia minus curæ & mo-

Digitized by Google

leſtiæ Patrifamilias parit tum quia minus eſt periculoſus, & fraudibus aliorum expoſitus.

Pro theſi affirmatiua.
Ratio.

10 *An fideiuſſio temeraria & æris alieni conflatio Patrifamilias ſit fugienda?*

1. STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt. 1. Quia fideiuſſio eſt ſponſio pro alio facta. Qui autem temerè pro aliis ſpondet, is facilè decipitur propter perfidiam hominum, remq; ſuam familiarem periculo & damno obiicit, iuxta illud:
2. *Sponde, noxa præſto eſt.* 2. Quia fideiuſſio temeraria pugnat cum prudentia Oeconomica, quæ exigit, vt paterfamilias cautè omnia illa auerſetur & fugiat, quæ noxam & detrimentum toti do-
3. mui afferre poſſunt. 3. Quia eſt laqueus inſidioſus quo capiuntur homines & in manum alterius
4. *Pro verb. 6.* incidunt 4. Quia non tantum ſacra Scriptura, ſed etiam viri ſapientes omnium ſeculorum fideiuſſionem temerariam, tanquam peſtem Oecono-
5. miæ euitari iubent. 5. Quia æris alieni conflatio ex diametro aduerſatur officio boni Oeco-
6. nomi. 6. Quia non eſt medium acquirendi & augendi; ſed potius perdendi rem familiarem.
7. 7. Quia æs alienum eſt tinea domus paulatim bo-
8. na domeſtica corrumpens. 8. Quia alieno ære non obſtrictum eſſe eſt argumentum Oeconomiæ benè adminiſtratæ: ſicut contra obæratum eſſe, eſt ſignum Oeconomiæ malè adminiſtratæ,
9. & non minima pars miſeriæ domeſticæ. 9. Quia ſuis hæredibus magnam iniuriam & damnum infert, eorumque poſt mortem ſuam querelas & accuſationes graues aduerſus ſeipſum excitat Paterfamilias, qui ad fideiuſſionem ærisq; alieni con-

conflationem præceps ruit. 10. Quia apud Perſas non minus fuit probrum & dedecus accipere mutuò pecuniam, & ſic conflare æs alienum, quam furari aut mentiri: non quod per ſe ſit tale, ſed quia præbet occaſionem talibus peccatis. Qui enim libenter mutuò ſumit, non libenter ſoluit; & qui libenter non ſoluit, libenter mentitur, & bonum alienum iniuſtè detinet. Hinc prodigus libenter ſumit mutuo, ſed non libenter ſoluit. Qui enim prodigus eſt ſui, eſt etiam prodigus alieni. Vide Richterum axiom. 115. Oeconomico.

11 *An conuiuia interdum à Patrefamilias ſint inſtituenda?*

SVnt quidem homines ita auari & tenaces, vt à conuiuiis inſtituendis plane abhorreant. Sed horum inſtitutum videtur non eſſe approbandum, 1. Quia pugnat cum recto vſu rei familiaris, qui in moderatè erogando & benefaciendo conſiſtit. 2. Quia conuiuium nihil aliud eſt, quam extraordinarius hominum amicorum ad menſæ communionē congreſſus à conuiuatore inſtitutus ad declarandam erga eos beneuolentiam, liberalitatem, aut etiam gratitudinem ſuam. Ideoque μισοδεῖπνος eſt, malevolus & illiberalis, qui à conuiuio inſtituendo planè eſt alienus. 3. Quia conuiuium eſt vinculum amicitiæ quæ inter homines, præſertim propinquos, vicinos & contribules vigere debet. 4. Quia idem eſt teſſera beneuolentiæ & liberalitatis, erga alios homines exercendæ. Cæterum cauendum eſt in conuiuiis inſtituendis, 1 Ne nimis ſint

Inſtitutum alienum improbatur. Ratio. 1. 2. 3. 4. *Quomodo conuiuium ſit inſtituendum.* 1.

Digitized by Google